IVDICIVM PARTICVLARE HOMINIBVS STATIM POST OBITAM MORTEM IMPENDENS

Authore

GEORGIO STENGELIO

Soc. IESV THEOLOGO.



Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Heb: 9.

Cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis & Permissu Superiorum.

Ingolstadij, Apud GEORGIVM HÆNLIN.

ANNO M. DC. LII.

REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS, PERILLVSTRIBVS, GENEROSIS, PRÆNOBILIBVS, AC STRENVIS DOMINIS DOMINIS; NEC NON AMPLISSIMIS VIRIS, DOMINIS PROCERIBVS IV. ORDINVM INCLYTI ARCHIDVCATVS AVSTRIÆ SVPRA ANASSVM.

AEquas *Themidis* bilances hoc libello incluſas V.am, REVERENDISSIMI & ILLVSTRISSIMI DD. tutelã vltrò præoptaſſe, nemo opinor mirabitur, cùm neminem fugiat, quantis VOS in amoribus *Themidi* ſitis, quantùm VOBIS cordi ſit *Themis*; ſiue *RR.imas* ſeorſum, & Illuſtriſſimas DD. VV. intuear, ſiue vnà conſiderem VTRASQVE. Quid enim? an non VOS REVERENDISSIMI cum nobiliſſimis Aſceterijs, quæ moderamini, nulli Tullio ſatis prædicandâ induſtriâ ne-

que diu neque noctu cessatis quæstus virtutum facere, vt quando *Rex Regum rationem ponet cum seruis suis*, damna vobis emergant nulla, lucra infinita, quibus iustissimum pretium pro *coronâ Iustitiæ* persoluatis? Vos autem ILLVSTRISSIMI in eo elucetis singulariter, quòd *Iustitiam*, quam vocant *Legalem*, sartam tectamque conseruatis, dum Patriæ quà manu, quà consilijs, quà fortunis vestris consulitis, non minùs liberaliter, quàm fortiter, tot Patriæ Consules, quot ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONES: vt scilicet *ante tribunal Christi, quando referet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*, non possitis non referre optima, quia optima gesseritis. Iam VTROSQVE si contempler, VOBIS PATRIBVS tam Patriæ, quàm suis Iustitia gloriatur, dum VOS conspicit eos IVDICES & DOMINOS erga subditos esse, qui amarorem Iudicis & Domini superfuso

fuſo Patrij amoris dulcore tam gratiosè ſubegerunt, vt eadem phialâ, ex qua mali fel libant, dulciſſimum Patriæ mel propinetur. Quod cùm palàm ſit, clàm eſſe non poteſt, quòd eandem *Themidem* blandiore vultu ſitis excepturi. Inſidet illa huic libello velut ſedi cuidam, aut tribunali, quod elaborauit eodem, quo alios complures libros, ſtilo *P. Georgius Stengelius Theologus noſtræ Societatis*: Cæterùm quia ambulandum ipſi fuit ad meditatum iam diu *iudicium*, tantò, vt ſpes affulget, mitius, quantò meditatius, antequam vltimam adderet manum; idcirco nobis deſiderij ipſius hæredibus præſtandum fuit, quod ipſe deſiderauerat, & offerendus ipſius *Poſthumus* illis, quibus ipſe deſtinârat in ſcriptis codicibus vix conceptum: vt nimirum veſtris auſpicijs, ac patrocinio inconcuſſum, & liuidorum ſarcaſmis inuium ſtaret *iudicium*, quod fortè non omnibus gratum, quia omnibus metuendum,

non iniqui, sed æqui amatoribus. Quin vt nulli terribile sit, & præuisa, vt aiunt, tela feriant minùs, in hoc Iudicio, velut Demosthenis speculo, *Iudicis* illius, ad cuius vrnam, etiam Coronæ & Sceptra trepidabunt, rigidos gestus, & corrugatam frontem præuidere concessum est, vt hanc lachrymis eluere, illos defixo in terram vultu, gestuque supplici euitare nemo non possit. Quamquam quis fastidiat illud, in quo irati *Iudicis* fastidia fletibus etiam amoliri connitetur? quis damnet tribunal, pro quo tribunali absolui optat; quis amoris impendio non emat, quo sine salutis amor grande dispendium facilè patietur, quocum nullum? monente illo: *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Et licèt *Particulare* hocce *Iudicium* audiat, non eò tamen seciùs ita ad omnium vtilitatem pertinet, vti commodis singulorum inseruit; tantis cuiusque curis truti-

nan-

nandum, quanto curarum pretio sententiam *Iudicis* ex animi sui sententia fluentem nundinari quisque anhelat. Et anhelabunt opinor multi, si REVERENDISSIMI & ILLVSTRISSIMI patrocinij Vestri albo calculo hunc libellum beare dignemini, atque efficere, vt dignus passim existimetur, qui in omnium amicitiam sese insinuet. Quibus rebus fiet, vt *Iustitia* apud VOS optimè de Christianâ Republicâ meritos se asylon reperisse nunquam non prædicare possit, & nos gloriari, quòd singulari V.ª beneuolentiâ Ingolstadiense hoc Collegium complectamini. VI. Aug. Anno Christi 1652.

RR.imis & Illimis DD. VV.

Addictissimum Collegium Societatis IESV Ingolstadij.

APPROBATIO.

Librum de Particulari Dei Iudicio à Piæ mem: P. Georgio Stengelio Societatis nostræ Theologo ſcriptum, atque à deputatis Cenſorib⁹ lectum probatúmq; Ego Christophorus Schorrer Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Prouincialis factâ mihi poteſtate ab admodum R. P. N. Franciſco Piccolomineo Præpoſito Generali typis dari permitto, fidemq́; facio meâ manu & officij ſigillo. Auguſtæ Vindel. 8. Iunij Anno. 1651.

CHRISTOPHORVS SCHORRER.

DE IVDICIO PARTICVLARI, HOMINIBVS STATIM POST OBITAM MORTEM, IMPENDENTE.

CAPVT I.

An homines Particulari aliquo judicio à Deo judicentur?

IN multis comparationibus, quas Christus Seruator attulit, illa etiam habetur: *Aßimilatum est regnum calorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* Rex hic est Deus, qui non modò iustè Mundum, hominesque Mundi incolas, morbis mortibusque quà publicis, quà priuatis, atque alijs cladibus gubernat: verùm etiam tandem vnicuiq; *Peculiari* quodam *Iudicio* ostendit, quid bene, quid malè in vita gesserit: atque idcircò etiam *rationem ponit cum seruis suis*: vt ipsi videant, se supplicio præmioue dignos. Siquidem, vt Ecclesiastes ait: *Iustum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.*

I. IVDICIVM PARTICVLARE OSTENDITVR E SS. SCRIPTVRIS. Matth. 18. 23.

Eccles. 3. 18.

Quando igitur de primo DEI Iudicio, quo Mundum æquiſſimè regit, copiosè actum eſt ſatis, addenda ſunt etiam aliqua, de Iudicio eius, quod *Particulare*, deque altero, quod *Vniuerſale* appellatur. De quorum vtroque quæritur, *An, quale, quando, vbi, quibus accuſatoribus, quibus teſtibus, quo Iudice, quo effectu, & quas ob cauſſas inſtituatur?* Iudicium quoddam *Particulare* eſſe, fidei noſtræ veritas eſt, qua cum D. Paulo
2.Cor. 5. 10. profitemur, *omnes nos manifeſtari oportere, ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue*
Io. 5. 22. *malum.* Afferri poteſt & illud: *Pater omne judicium dedit Filio,* quod etſi intelligi quoque poſſit de variorum hominum operumque judicijs, quæ in hac vita exercet; plano tamen ſenſu accipitur, de triplici Iudicio Chriſti, *particulari* ſcilicet etiam & *vniuerſali,* & illo, quod eſt à nobis explicatũ *judicium gubernationis.* Plura enim iudicia, per illud, *omne judicium,* ſignificantur. Neque
Heb. 9. 27 ille locus eſt alienus: *Statutum eſt hominibus ſemel mori, & poſt hoc judicium.* Nam licet ſenſus eſſe poſſit, cùm fuerint mortui omnes homines, tunc fururum judicium, vt Oecumenius exponit, conuincitur tamen *particulare*

culare judicium vel inde, quia necesse est, animas statim post mortem sententiam accipere, ne, sicut anima *Garibai*, apud iocantes Hispanos, in ambiguo hæreant; ac neque pœnas luant, neque præmijs potiantur, ad Lutheri *Scheolach* detrusæ, & vsque ad extremum Iudicij diem dormituræ; quod absurdum esse ostendit Tertullianus; cùm somnus à corporis dispositione originem trahat, & anima, ne in corpore quidem dormiat, vt somnia testantur. Verùm longè efficacior clariorque locus est ille: *Facile est, coram Deo, in die obitus, retribuere vnicuique, secundùm vias suas*: item: *In fine hominis denudatio operum illius.* Adde, quòd Euangeliũ asserat, mox à morte descendere impios ad Acheruntem, vt epulo ille docet; iustos autem, aut plenâ contritione pœnitentes intrare in gaudium Domini, vt in latrone discimus, cui dictũ est: *Hodie mecum eris in Paridiso.* Quod etiam sperauit Stephanus, qui non modò vidit *cælos apertos*, sed etiam voluit rogauitque suscipi spiritum suum à Christo. Quid enim petijt, si non sperauit? Aut cur etiam Paulus cupiuit *dissolui, & esse cum Christo*, si ad Christum, ante vltimum Iudicij diem non potuit peruenire? expe-

Tertulliã. l. de anima.

Eccles. 11. 29.

Luc. 16. 23.

Luc. 23. 43.
Act. 7. 55.

ctaſſet vltimum illum diem, ſi idcirco tantùm voluit diſſolui, vt eſſet cum Chriſto: quandoquidem diſſolutio eum non promouiſſet. Quia autem eum ad laborum præmia ſtatim promouit, idcirco præſcius cupiuit diſſolui, vt eſſet cum eo. Sicut & impij quidam illico ad Tartara deſcenderunt: & Martyres, in cælo ſtolis albis amicti, & palmas in manibus ferentes ſunt viſi à D. Ioanne. Quod ſi ita eſt, quis credat, impios plecti, & iuſtos præmijs cumulari antè, quàm judicium ſubierint, ſententiaq; ſummi Iudicis vel damnati ſint, vel abſoluti?

Apoc. 7. 13.

II. E SS. PATRIBVS. S. Cypriã. ſerm. de mortalit.

Id ipſum etiam SS. PP. docuerunt. *Gratulari oportet*, ait S. Cyprianus, *& temporis munus amplecti, quòd dum noſtram fidem firmiter promittimus, & labore tolerato, ad Chriſtum per anguſtam Chriſti viam pergimus, præmium vitæ & fidei ipſo iudicante capiamus.* Magis lucidè Chryſoſtomus. *Poſtquam diẽ tuum obieris*, ait, *judicium & pœna conſequetur*; vt proinde nemo errori debeat conſentire dicentium, Chriſtum poſt mortem prædicaturum, & defunctos ad pœnitentiam adducturum. Si enim poſt mortem ſequitur judicium, poſt iudicium pœna inferni; ſanè in inferno nemo poteſt confiteri Domino,

S. Chryſ. hom. 37. in Matth.

no, teste Psalmista, adeoque non est locus pœnitentiæ. Adhuc clariùs D. Augustinus. *Iam illud*, ait, *rectißimè, & valde salubriter creditur, iudicari animas, cùm de corpore exierunt, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet, jam redditis corporibus, iudicari.* Bis ergo homines, semel corpore soluti, dein eidem redditi, iudicabuntur. Plurium Patrum, de hoc particulari Iudicio, sententias, passim huic libro inseremus. S Augusti. lib. 2. de Orig. anim. c. 4.

III. E POETIS ET PROFANIS SCRIPTORIBVS.

Quid si & ipsi Poëtæ, naturæ quodam monitu, morientibus quemdam Minoëm, Æacum, & Rhadamanthum minitati sunt, in nomine iudicum, non in judicio errantes? Audi principem Poëtarum.

Virgil. 6. Æneid.

Nec verò hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes:
Quæsitor Minos vrnam mouet: ille silentûm
Conciliumq; vocat, vitasq; & crimina discit.

Et rursus infrà.

Cnosius hæc Rhadamanthus habet durißima regna:
Castigatq;, auditq; dolos: subigitq; fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortẽ.

Et alius Poëta: *ibimus omnes,*
Ibimus, immensis vrnam quatit Æacus vmbris.

Stat. l. 2. silu.

Plutarch. in Apophthegm. Quin & Epaminondas interrogatus aliquando: *Quis, inter militiæ duces illi omnium fortißimus esse videretur? Chabrias, Iphicrates, an ipse, an alius?* respondit: *Hoc quidem, dum viuimus, nimis quam difficile est dicere: Vltimus vitæ dies de singulis fert sententiam.* Quod dictum etsi videatur conuenire cum illo:

dicíq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet,

tamen etiam de sententia Dei, vltimo vitæ, seu primo mortis die ferenda, intelligi potest; cùm talis quisque sit, non qualis iudicio fallibili hominum, sed qualis est in diuino tribunali: de quo antiqui scriptores multa tradiderunt. Plura in hanc sententiam è Platone, plura è Tullio possent afferri, sed Christianis auribus Christiana exempla sunt, vt veriora, ita etiam gratiora; quibus perspicuè demonstratur, defunctos ipsos patefecisse hominibus, se se iam ante supremi judicij diem esse iudicatos.

IV. Ex historiis. Luc. 16. 22. S. Greg. l. 4. Dialogor. cap. 36.

Vt ergo de iudicio hoc constaret, Christus ipse diuitem illum epulonem damnatum introduxit. Sed insuper narrat S. Gregorius, Stephanum quemdam defunctum, atque ad tribunal adductum audiuisse iudicem dicentem: *Non hunc, sed Stephanum Ferra-*

Ferrarium vocari iussi. Quare defunctus vitæ est redditus, Stephanus autem Ferrarius, qui in vicinia morabatur, è vita exturbatus. Simile quiddam D. Augustinus refert, de quodam Curma. Adiungit autem historiæ suæ D. Gregorius hoc glossema: talia non fieri vero errore (quasi scilicet Angeli Deum iubentem non intelligant) sed vt per istum quasi errorem, is, qui obierat, reuiuiscens viuentibus narret judicium & tormenta, quæ impios, post hanc vitam manent; & cum illis ad frugem redeat meliorem.

D. Augustin. lib. de cura pro mortuis. c. 12.

V.
ITEM EX DOCTORE PARISIENSI.

Etiam in pueros notum est terribile illud exemplum, quod legitur in libro de ortu Carthusiensi, in vita S. Brunonis de Doctore quodam Parisiensi. Is enim An. 1092. doctrinæ scientiæque fama inprimis clarus, omnium sibi gnarus fauores conciliare, inter Parisienses Magistros eminenter honoratus habebatur. Morbo correptus, intra paucos dies, in viuis esse desijt. Expositum est, more Parisiensi, in aula funus, feretro incumbens, aut, vt alij volunt, ad templum celebri pompa delatum. Ibi frigidum cadauer, cùm in magna hominum confluentiũ, immò totius Vniuersitatis frequentia, iusta persoluere vellent, primo quidem die se-

Francisc. Puteus in vita S. Brunonis, & Petrus Thyræus de Iudicio partic. cap. 6. Sit fides penes authores.

ſenſim de feretro erigens, ſublatoq; capite, cum omnium aſtantium incredibili formidine, clamauit: *Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum.* Qua voce terribili emiſſa recubuit. Interruptis relictiſq; exequijs & dilata ſepultura, ijdem, qui adfuerant, die altero, redeundum cenſuerunt. Sed & die altero idẽ prodigium euenit. Nam cadauer rigidum denuò ſe mouit, ac pallido vultu huc illuc circumſpiciens, hac voce horrendum rurſus intonuit in modum, omneſq; tremefecit: *Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum.* Diffugêre rurſus omnes; & varij hac de re ſermones fuêre. Sed quia nondum liquebat penitus, vtram eſſet in partem iudicatus, tertia die omnia ſunt in exequijs perſoluendis ab initio rurſus inchoata. Ventum erat iterum ad ea Iobi verba: *Reſponde mihi, quantas habeo iniquitates;* cùm, ſicut prioribus diebus, ita etiam ea vice cœpit feretrum concuti, corpus exanime tollere brachia, atque ſe ſe ſubrigere in altum, oculiſque Auernalem triſtitiam ſpirantibus metuendum hunc in modum clamitare: *Iuſto Dei Iudicio damnatus ſum.* Tum demum omnes compaueſcere; tum comæ ſingulis ſtare, tum alter alterum mutuò aſpicere; tum omnia

Iob.13.23.

omnia

omnia fluxa & vana plurimi contemnere; postquam intellexerunt, eum, qui alios videbatur honestate vitæ, claritate famæ; dignitatis excellentia, & tam multifaria scientia sapientiaque longè superare, vitæque sanctioris exemplar esse; diuino decreto, sempiternis flammis addictum esse atq; adiudicatum. Certè ipse Bruno Coloniæ, non obscuris parentibus natus, & Parisijs inter celebriores Doctores cultus, scholasticorũque magister, & Rhemensis Canonicus, vnà cum sex socijs, vbi & defuncti Doctoris vitam, vulgò adeò de pietate celebratam, & Iudicis æterni sententiam inter se se comparauit, nihil prius habuit, quàm vt Mundo nuntium remitteret, atque se se in asperrima montium abderet, & Carthusiæ demum solitudinem coleret; vt ibi viuus sepultus ad dicendam, coram tam seuero tribunali, caussam sese impensiùs præpararet. Ex eo loco, hodieq; *Carthusiani* appellantur. Eiuscemodi plures historiæ, suis locis inserendæ, ostendunt, esse quoddam *judicium particulare*, illico post mortem, subeundum.

O si nos quotidie eorum, qui moriuntur, judicijs interesse possemus, quàm longè aliter vitam nostram moresq; censeremus in- VI. Ex ratione.

ſtituendos? quàm facilè quiſquilias Mundi, nugaſque omnes è manibus noſtris dimitteremus? quàm multa videremus ad trutinam vocari, quæ laude digna arbitramur, in hac vita? *Conuenit omnem, qui ab aliquo rectè punitur,* ait Plato, *vel ipſum fieri meliorem, vtilitatemq́, percipere, vel ceteris exempla dare, vt alij pœnas eius conſpicientes, meliores, ob timorem efficiantur.* E pœnis ergo illorum, qui damnantur, aut è præmijs iuſtorum fiamus meliores. Nam etſi oculis corporeis iudicium hoc priuatum ac peculiare intueri non poſſumus, poſſumus tamen intueri oculis mentis. Si enim credimus *aſſimilatum eſſe regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis;* & Deum nobiſcum certò rationes initurum, atque in puncto mortis inire cum omnibus; procliue eſt, quotidie iudicium illud, cum magno conſiliorum noſtrorum fructu, imaginari. Vt autem credamus, præter diuinas ſcripturas, præter SS. PP. & hiſtorias, rationeſque obiter inſinuatas, etiam illa nos impellunt, quòd tum ſit itineris noſtri terminus, neque vltra vitam ſimus viatores, qui pœnam præmiumúe poſſint promereri. Cur igitur Deus, poſtquam Chriſtus nobis

Plato in Gorgia.

Matth. 18. 23.

bis cæli aditum, morte, aſcenſioneque ſua, reſerauit, & limbum antiquorum Patrum ſuſtulit, iudicium differret? differret enim & ſua impijs ſupplicia, & præmia iuſtis: atque ita iuſti & iniuſti, tot ſæculis, quæ inter mortem cuiuſque & vltimum diem decretorium intercedunt, eodem loco & condicione haberentur: Immò ita, ſuſpensâ Iudicij ſententia, iuſti dubitare & formidare; ita iniuſti ſperare poſſent; ita denique iniuſti moræ ſolatium, iuſti autem dilationis haberent afflictionem. *Cùm ſerò factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios, & redde illis mercedem.* Sic Deus, cùm vitæ ſol vltimus occidit, mercedem reddit ijs, qui in vinea eius laborauerunt, more aliorum dominorum, qui ſub veſperam non ſine retributione, operarios dimittunt; aut etiam caſtigant ſeruos, filioſque, qui ſeſe interdiu malè geſſerunt, aut in officio ſuo extiterunt negligentes. Denique, iudicij metu, multi refrænantur à ſcelere, multi ad res præclaras gerendas, velut vna, quod dicitur, ſcutica, incitantur. Qua de cauſſa Iuſtitiam his verbis compellat Poëta.

Matth. 20. 8.

tu prima hominum ſilueſtribus antris
Elicis, & fœdo detergis ſæcula victu.

Claud. de conſ. Manlij Theod.

Te

Te propter colimus leges, animosq́ferarum
Exuimus; nitidis quisquis te sensibus hausit,
Irruet intrepidus flammis, hyberna secabit
Æquora, confertos hostes superabit inermis,
Ille vel Æthiopum pluuijs solabitur æstus,
Illum trans Scythiã vernus comitabitur aër.

Si igitur in omni Republica, aut Politia, siue Democratica illa, siue Aristocratica, siue Oligarchica, siue Monarchica sit, ad gubernantis prouidentiam spectat, tam malefacta pœnis, quàm virtutes præmijs compensare, sine qua re omnia susque deque irent; necesse est etiam supremum totius Mundi Moderatorem res humanas ita administrare, vt bonis præmia, malis supplicia constituantur; atque hac ratione alij à sceleribus metu coërceantur; alij ad virtutes spe compensationis impellantur. Quod cùm sæpissimè, in hac vita, non fiat, in qua plurimis malis hominibus benè, plurimis bonis malè est, conficitur, in altera vita, iudicium vel bonis sperandum, vel malis formidandum superesse. Hic maximus est ad benefacta stimulus, hoc ingens frenum malefactorum. O quàm optarent impij, *non esse Deum*! nec vllum post mortem, iudicem metuendum! quàm vellent, omnia quodam

dam naturæ impetu, vel fortuito caussarum concursu euenire! Quàm cuperent, nullo futurorum metu concuti! Sic enim quidquid liberet, liceret. Sic omni timore soluti liberrimè peccarent. Sic omnia mala perpetrantibus, post hanc vitam, nihil mali impenderet. Sic securi essent, de ratione factorum suorum exigenda. Immò peccatum ipsum nihil esset, nisi falsa quædam legis violatæ Numinisque offensi opinio. Iam verò quia & Deus est aliquis, & aliquis huius Mundi Gubernator, quin & iustissimus Iudex, qui illico post mortem vnicuiq; reddit iuxta opera sua, meritò mortales conuenit & virtutibus studere, & fugere scelera, ne in iudicio illo caussa cadant, flammisq; adiudicentur sempiternis. Quę quamquam in primis valeant ad prouidentiam, iustitiam, ac iudicium diuinum vniuersim demonstrandum; tamen etiam militant pro Iudicio illo particulari, cuius ampliandi nulla est caussa. Ad quid enim vel reis dilatio pœnæ concederetur? vel iustis negaretur collatio coronæ? cùm illa gratia, ista pœna dici posset.

CAPVT

CAPVT II.

Quid, & qualenam sit Iudicium Particulare, quod homini est subeundum?

QVID SIT IVDICIVM PARTICVLARE.

FVturum aliquid esse, neque spem nostram admodum accendit, neque metum valde acuit, si quid, aut quale sit, nesciamus. Quid est ergo Particulare iudicium, quod futurum est homini? *Reddere rationem* non iam *villicationis*, sed totius vitæ suæ, & audire sententiam meriti sui, non à rege terreno, sed à Deo. Tunc enim sententia fertur, quæ animæ manifestat, quid de ea futurum sit, in tota reliqua æternitate. Quàm primū enim quis ex hac vita decedit, statim, in ipso mortis articulo, omnium cogitationum, verborum, operumque suorum vel pretium meritumque, vel culpam ante oculos habet; pariterque eodem temporis momento, sententiam Christi Iudicis accipit, nullis æternitatibus reuocandam; atque ita cognoscit, quid sibi futurum sit, per omnem durationem, quæ futura est, quàm diu Deus durabit; num scilicet perpetua salute & gloria, inter beatos, sit lætaturus, an eiulaturus in Tartaro

Luc. 16. 2.

Tartaro, flammis nunquam desituris. Hoc est quod *Particulare Iudicium* appellamus; hoc est, reddere rationem; hoc tribunal priuatum soli animæ constitutum, distinctum ab eo, quod corpori & animæ simul, sub Mundi finem, erit subeundum; nam illud & *loco* differet, & *Iudicis apparatu ac Maiestate*. Non enim in valle Iosaphat agitur Iudicium Particulare, non reijcitur in vltima tempora; nec tanto peragitur apparatu. Non hîc conueniunt vniuersi homines; non huc descendunt ordinariè vlli è cælo beati; non ascendunt damnati ex Inferno; non alij ad dexteram, ad sinistram alij statuuntur; non panditur coram toto orbe terrarum liber ille, qui conscientias deteget singulis singulorum, sed vnius duntaxat hominis bona maláue deteguntur & excutiuntur.

Et tamen nihilominus etiam hoc Iudicium formidabile est, ac metuendũ. 1. Quia fit coram rege, quid aio? coram regum Rege; coram Deo. 2. Quia iudicium est de seruo. Quid ad regem seruus? 3. Quia non rarò plus quàm decem millia talentorum exiguntur. 4. Quia sæpissime hîc reus non habet, vnde reddat. 5. Quia hîc non est ampliùs rogandi supplicandiq; locus. Rex ille

II. CVR HOC PARTICVLARE IVDICIVM SIT TERRIBILE?

Matth. 18. 27. & v. 32.

ille in genua procedenti misertus est, & *omne debitum dimisit*: post mortem Deus debitum nullum, & adeò neque *nouißimum* quidem *quadrantem* dimittit. Ad terunciùm omnia sunt dissoluenda. 6. Quia cùm alioqui sæpe difficile sit vnius dicti aut facti rationem reddere, hîc tota vita quæstioni subijcietur. 7. Quia agitur de cæli gaudijs, & ipsa beatitudine amittenda; & de incendijs patiendis, quæ nullo æuo extinguentur. Acies igitur & hîc figenda, quia abruptum amplissimum saliendum est.

III. IVDICIVM PARTICVLARE VNVMQVEMQVE DETEGET.

Petron. in Satyr.

Solebant veteres, in Iudicio, oratores aliquando pectora reorum diloricare, vt cicatrices Iudicibus ostenderentur, quas pro Reipublicæ incolumitate accepissent. Quin & ipsi declamatores, reorum nomine atque loco, vociferabantur: *Hæc vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi: date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites membra non sustinent.* Tale quid in hoc Iudicio continget, iuxta illud: *In fine hominis denudatio operum illius.* Tunc aperietur, quid quisq; in pectore gesserit; & illi quidem, qui plagas poterunt exhibere, ob Christi nomen acceptas, absoluti coronabuntur; alijs autem plagæ su-

Eccli. 11. 29.

per plagas adijcientur; illis nimirum, quorum fœdæ cicatrices, à meretricum morsibus, à lue Gallica, à morbo Syllano acceptæ, & deteſtanda *peccata* non fuerint *tecta*, Pſal.31.1. neque pœnitentiæ lachrymis eluta. Chymicorum ars diu materiam coquit, neque foris apparet, quid teſta occulat: quemadmodum & agunt, qui æris fundendi negotium habent: limo enim apud illos, & ſuperiniecta terra obuoluitur ſtatua; neque antè conſpicitur, Angeluſné proditurus ſit bonus, an Cerbereus cacodæmon. Aſt vbi teſta Chymica frangitur; vbi lutum ab æreo opere remouetur; tunc demum ibi quidem aut aurum prodit, aut plumbum; hîc autem aut Angelus ſe ſe oſtendit, aut cacodæmon. Sic vbi teſteum corporis noſtri vas, & lutea carnis domus rumpetur, aut euertetur; tum demum apparebit, quid quiſque *ſuperædificauerit ſuper fundamentũ hoc* (Chriſti ſcilicet) *aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur; & vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit.* 1. Cor. 3. 12. Quàm multi plumbum reperient, qui aurum ſperauerunt ſe allaturos? Mali Chymici. Qui aurum ex-

hibuerint, læti rationem reddent; & tamquam boni Alchymiæ magiſtri laudabuntur. Dicetur enim: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Quòd autem & ſtatuæ ſimilis ſit anima argillâ tectæ, audi Apoſtolum:

Matth.25.23.

2.Cor.5.1. *Scimus* ait, *quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactã, æternam in cælis.* Vt igitur, remotâ terrâ, & formulæ glebâ, ſtatuarij inſigne ſæpe opus, Aliger cæleſtis, aut alius Diuorum emergit; ita corpore hominis, ſeu terreſtri domo noſtra diſſolutâ, pulcherrima anima emicat, Angelis par puritate, aut alijs Diuis cælitibus nõ impar moribus. Tum enim demum eius venuſtas conſpicua fiet, diu tecta puluere humilitatis. Aſt aliorum luteâ corporis domo deiectâ, qui formoſi; qui purpurati, qui torquati videbantur, quàm (ò Superi) fœdus erit aſpectus? quàm teter diabolus prodibit? Itaq; ante hoc Iudicium nemo vel deſpiciendus eſt, vel nimis ſuſpiciendus. Quin neq; ſe ipſum quiſquam magni facere debet, cùm neſciat, quid ſit

1.Cor.4.4. in oculis Dei. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum,* ait Apoſtolus. La-

tens

tent nunc hominũ cogitationes, quia neq; sermo, neque opera neq; intentio plurimorum veniunt in lucem: tunc rerum arbiter Deus, ostendet, sibi nil clausum, nil opertum fuisse, quando vnicuique suam deteget aut pulchritudinem, aut fœditatem; & id quod in sinu fouit, in apricum proferet. Itaque in hac vita, *de se ipso nihil tenere, & de alijs semper bene & altè sentire, magna sapientia est, & perfectio.* Thom. de Kemp. l. 1. de imit. cap. 2.

IV. CVR MICHAEL CVM LIBRA PINGATVR?

Neque Iudex errabit. Nulla Themis tam iusta potest fingi. Iustitiæ infinitæ nihil potest addi. Hinc libripens Michaël Iudicij diuini proprætor, (quemadmodum Iustitia cum libra solet pingi) bilancem exhibet; qua & animas trutinat, & opera animarum. *Aiunt viri diuinitus illustrati*, inquit Ioannes Damascenus, *quòd cùm exhalamus spiritum, quasi in librâ, humana opera probantur.* Ioan. Damascen. orat. de defunct. vel quisquis author. Multas eiuscemodi libras in familiari historia legimus memoratas; quæ vtique nihil significabant aliud, quàm libra D. Michaëlis, de quo Ecclesia sic inducit loquentē Deum: *Michaël Archangele, præposite Paradisi, constitui te super omnes animas suscipiendas.* Suscipit enim & trutinat. Historia est talis. *Cùm an. Domini 1566, agerem Romæ*, ait Bredenbachius, Tilmannus Bredenbachius l. 8. Collat. sacrar. cap. 28.

chius, *cum viris clariſsimis D. Martino Eiſengreinio, D. Ioanne Pfiſtero, Oratoribus sereniſsimi Bauariæ Ducis Alberti, apud Sedem apoſtolicam, paulo poſt Paſchæ ſolemnia, D. Martinus Eiſengreinius Orator tunc Bauaricus apud Pium V. Ponti: Max: admirabilem habuit, ſub ipſum crepuſculum matutinum, viſionem, quam mox vt euigilauit, mihi ad ſe accerſito, atque item D. Philippo Dobereinero admirabundus enarrauit. Olim is cum D. Friderico N. tunc adhuc ſuperſtite diſſertationem habuerat de loco iſto Salomonis (Sap. 11.) Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. Itaque cùm nuper defunctus eſſet D. Fridericus N. viſus eſt in ſomnis apparere D. Eiſengreinio, eumdemq́; locum admirabili doctrina ac dexteritate explicare. Videbat quoque D. Eiſengreinius iuxta cubile ſuum pendentem tabulam, in qua omnis generis ſtatus & conditionis homines verſari agitariq́; videbantur, & ſinguli quidem occupabantur circa res & negotia ſua. In margine verò tabulæ infinitæ bilances apparebant pendentes, in quibus omnium & ſingulorum actiones, ſtudia, & molimina exactiſsimè ponderabantur. Ac tandem, poſt acutam & abſolutiſsimam iſtius loci Salomonis explicationem, cœpit interrogare Fridericum Eiſengreinius, quonam*

nam

nam pacto secum ageretur, saluusne factus esset? Ille verò respondit: spero. Quo dicto euanuit, quasi desiderans suffragium. D. Eisengreinius mox euigilat. Paulò pòst exurgens familiarem suum ad meum cubiculum amandat, vt me vocaret. Ego verò, quia erat dies festus, iam in Vaticanum ad Ecclesiam S Petri concesseram. Ille protinus mittit ad D. Philippum Dobereinerum, eiq; totam rem exponens mandat, vt in loco sacratiori, qualia aliquot ista in vrbe, ad suffragandum animabus à summis Pontificibus deputata maximisq; indulgentijs cohonestata sunt, sacrificium corporis & sanguinis Domini offerri curet. Ego paulò pòst ab Ecclesia domum reuersus è vestigio vocor ad D. Eisengreinium: Exponit, quid viderit, quidq; mihi in mandatis dare cupiuisset, quod iam per Dobereinerum curasset. Nec verò mirandum, si vir doctissimus & catholicæ religionis vindex acerrimus, speratæ beatitudinis dilationem sustinere visus sit, cùm & de S. Seuerino sanctissimo Episcopo in quibusdam historijs legatur, illum ab obitu suo non protinus ad æternæ felicitatis fruitionem admissum; & D. Gregorius Magnus lib. 4. Dialogo: cap. 40. & 41. referat de viro integerrimo Paschasio, qui eius fuit sanctimoniæ, vt ex contactu vestis eius in feretro malignus Spiritus ab

 homine

homine obsesso fugatus sit: & tamen ob exigua quadam ab ipso Paschasio viuente non animaduersa, adhuc quadam luenda habebat, donec Germani Episcopi Capuani deprecatione ab ipso Paschasio, in thermis apparente, postulatâ, liberaretur.

V. IVDICIVM HOC PARTICVLARE VNICVIQVE NON PROCVL ABESSE.

Bonam fuisse hanc animam, vel ex eo conijcimus, quia dum opem petijt, opem tulit; eum enim ipsum, cui apparuit, tabula negotiantium tot libris ad amussim trutinatorum erudiuit. Quid aliud ex ea potuit intelligere, quàm singula singulorum opera & negotia, ad pondus & iustitiæ lancem, expendi? quod ipsum quoq; cautiorem faciebat intuentem. Quin & nos facit, si seriò cogitemus, à nobis quoq; rationem, simili librâ, exigendã. Neq; sanè ita diu eum iudicij nostri diem differendum, scire debemus. Etiamsi adhuc mille anni supersint, ante extremi iudicij diem, iudicium tamen nostrum tam longè non distat. *Ponamus*, ait S. Chrysostomus, *sæculi consummationem, post viginti annos, futuram, post triginta, post centum. Quid hoc ad nos? An non vniuscuiusus consummatio est vitæ suæ terminus?* Tunc, tunc libra prodibit; tunc appendentur noctes tuæ, somni tui, pigritia tua,

S. Chrys. In ep. ad Thessal. hom. 9.

tia tua, oratio tua, labor tuus, negotia, omnia tua, epulæ tuæ, compotationes tuæ, ludi tui, socij tui, sermones tui, consilia tua, doli tui, perfidiæ tuæ, odia tua, inuidiæ tuæ, blasphemiæ tuæ, ebrietates tuæ, rixæ tuæ, homicidia tua, adulteria tua, fornicationes tuæ, facta tua, & quidquid commisisti flagitiorum. An non tunc decem millia talenta debebis regi tuo? quid respondebis, si conseruo tuo centum denarios non remittis?

VI. AD HOC IVDICIVM NOS PARATOS ESSE OPORTERE. 1. Cor. 4. 1.

Prudens dispensator, ante diem rationis reddendæ, librum legit relegitque, & omnia examinat, quid acceptum, quid expensum; an fini initia, & initio finis respondeat; ne subitò rationem reddere iussus, nequeat respondere. *Sic nos existimet homo, vt ministros & dispensatores mysteriorum Dei*, ait Apostolus. Si ergo dispensatores sumus, ante tempus rationis exigendæ librum rationum, hoc est, conscientiam inspicere debemus. Ibi si plus est de peccatis culpæ, quàm de pœnitentia satisfactionis, maturè par est vt nobis prouideamus, atque ad Iudicium euocati Deo possimus respondere. Siquidem cùm minimè putabimus, à Iudice citabimur. Beatus erit, qui paratus erit.

Paratus erit, qui rationes ſæpe inſpexerit. Inſpiciet, qui conſcientiam quotidie examinabit, & ſacerdoti confitenda in chartam conijciet. Nam *ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtique judicaremur.* Prouidi debitores priùs, quàm creditoribus pecuniam afferunt, in ſtatera appendunt, explorantque, an ea iuſti ſit ponderis, & legitimæ inſcriptionis, ne decipere potiùs, quàm ſatisfacere velle videantur. Ipſe Chriſtus dixit: *oſtendite mihi numiſma cenſus*, eoque oſtenſo adiecit: *Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio?* vt ex eo poſſet decernere, ad Cæſaremné, an ad Deum moneta pertineret. Ita quiſque ſi ſe ipſum in ſtatera appendat & expendat; ſi imagines, quas animo impreſſit intueatur, facilè conijciet, cuiuſnam ſit; Numinis, an dæmonis? ſæpe ibi leget: THECEL: *appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens*, quod in conuiuio Baltaſſar rex legit digito Dei parieti inſcriptum: legit, & ad pœnitentiam non confugit. Nos legamus, vt, quod nobis deeſt, addamus: &, ad quod venimus, hoc agamus. Quamobrē prouidè ſanctus ille ſcriptor monens ait: *In omnibus rebus reſpice finem, & qualiter ante diſtrictum ſtabis iudicem, cui nihil eſt occultum;* *qui*

1. Cor. 11, 31.

Matt. 22. 19.

Dan. 5. 27.

Thom. de Kemp. l. 1. de imit. cap. 24.

qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit: sed, quod iustum est, iudicabit. O miserrime, & insipiens peccator, quid respondebis Deo omnia mala tua scienti? qui interdum formidas vultum hominis irati? Vt quid non prouides tibi in die judicij, quando nemo poterit per alium excusari vel defendi: sed vnusquisq; sufficiens onus erit sibiipsi? Nunc labor tuus est fructuosus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor satisfactorius, & purgatiuus.

CAPVT III.

Quo tempore hoc Iudicium Particulare *peragatur? & peculiariter, num ante mortem?*

TRia in quæstionem veniunt. Num scilicet ante, num post mortem, num in ipso primo mortis instanti Iudicium hoc Particulare & secretum cuique sit sustinendum? Circa hæc tria tempora debet Iudicium accidere; quod antiquitus significatum est illo iudicandi more, quo apud Iudæos iudicia in ipsis portis ciuitatum instituebantur, illis scilicet locis, quibus homines in ciuitatem venire, vel è ciuitate egredi solebant. Nemo enim vel hinc ex hac vita exibit, vel in cælestem Ierusalem,

I. IVDICIA OLIM IN PORTIS CIVITATVM INSTITVTA, QVID SIGNIFICENT?

 salem,

salem, aut aliò intrabit iniudicatus. Qua
2. Reg. 15. 2. de caussa regnum affectans *manè consurgens Absalom stabat iuxta introitum* PORTÆ, *& omnem virum, qui habebat negotium vt veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israel ego sum seruus tuus. Respondebatq́ue ei Absalom: videntur mihi sermones tui boni & iusti. Sed non est qui te audiat constitutus à rege. dicebatq́ue Absalom: Quis me constituat judicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè judicem?* Ibi ergo subsellia; ibi viri primates ac senatores iudicesq́ue. Eò tendit illud encomium: *Nobilis in portis vir eius, quando*
Prou. 31. 23. *sederit cum senatoribus terræ.* Non ianitorem, sed senatorem in portis iudicantem indigitat ibi Salomon. Ad hæc iudicia in portis instituta alludit etiam Dauid, cùm beatum prædicat, qui *non confundetur, cùm lo-*
Psal. 126. 5. *quetur inimicis suis in porta.* Ad eumdem planè modum, multoque beatior erit, qui non iam in caussa dicenda vincet aduersarios homines, sed dæmones; non in porta ciuitatis, sed in porta exituque vitæ suæ; non à mortali, sed ab immortali iudice iudicandus. Quemadmodum ergo in porta

ciuita-

ciuitatis iudicia olim sunt habita, sic habetur *Iudicium Particulare* sub exitum vitæ. Tunc enim velut vespere facto, operarij vocandi sunt ad mercedem recipiendam; vt *exitus acta probet*; & illud etiam hîc locum habet, quod, vt suprà retulimus, Plutarchus in Apophtegm. Græc. refert: *Vltimus vitæ dies de singulis fert sententiam*: immò potiùs illud Siracidæ. *Facile est coram Deo, in die obitus, retribuere vnicuiq; secundùm vias suas*. Fit ergò in die obitus Iudiciũ, sine quo retributio non fit. Sicut autem portæ nomine vel illum locum, qui est intra, vel qui est extra ciuitatem, vel ipsiusmet portæ spacium intelligere possumus; cùm & vtrimque, & in medio quiuerit tribunal erigi; ita quærere fas est, quandonam iudicetur anima hominis, ante suum exitum, an in exitu, an post exitum?

Matt. 20. 8.

Eccli. 11. 28.

II. PVBLICANI AVARI IN HAC VITA IVDICIVM.

Surius 23. Ianuarij.

Iudicium hoc ante mortem cœpisse, sequentia videntur docere exempla. S. Ioannes Archiepiscopus Alexandrinus, qui dictus est *Eleemon*, id est *misericors*, seu *Eleemosynarius*, vt alijs etiam misericordiam in pectus insereret, inter varia dicendi argumenta *addebat quoque, quod à fideli quodam & amante veritatis dicebat se audiuisse Cypri*,

qui

qui sic narrabat, ea quæ dicebat, iure iurando confirmans. Cùm essem in Aphrica, habitabam apud quemdam publicanum, valde quidem diuitem, sed admodum immisericordem, & pauperem, quo ad misericordiam. Cùm autem accidisset, vt tempore hiberno Sol luceret calidiùs, pauperes simul congregati calore fruebantur. Vt solet autem in his euenire, domos enumerabant, illas quidem, quæ erant misericordium, & sua communicantium, beantes; eas autem quæ poßidebantur à parcis, & nihil elargientibus, miseras dicentes, & execrantes, cum quibus, inquit, etiam meum connumerarunt dominum. Sic itaq; inuicem interrogabant, an aliquis vmquam ibi fuisset eleemosynæ particeps? Cùm verò nullus esset ex omnibus, qui affirmaret, se accepisse; vnus ex illis: sed quid inquit, mihi dabitis, si ego hodie recedens illinc consecutus fuero misericordiam? Cùm autem ea de re pacta conuenta inter se fecissent, pauper cùm fuisset ex aduerso vestibuli publicani, inuenit ipsa horâ pistorem trahentem mulum pane onustum, ipsumq; venientem per viam, quæ tendit ad ædes. Cùm itaque pauperem ex aduerso stantem vidisset Publicanus, & solo tristi habitu prouocantem eum ad misericordiam: neque enim vel solam vocem audebat emittere, ne

virum

virum irritaret alienum à misericordia. Sic quoque furore percitus, vno pane arrepto, & eo vsus tamquã lapide, iacit in pauperẽ. Quem ille protinus accepit, & abiens ostendit aliis, affirmans quòd accepisset ab ipsis manibus publicani. Nondum duo dies prateriérant, & Publicanus morbo correptus mortifero, cùm mentis subiisset ecstasin, videbat à se exigi rationem suarum actionum. Deinde videbatur etiam adesse trutina, vtraq; discernens: in cuius sinistra quidẽ lance videbat nigros congregatos, & multa eius turpia facta in lance deponentes, è dextra autem viros quidem candidatos & forma terribiles, assistentes: nihil verò boni inuenientes, quod contrà possent in lance collocare, esséq; mœstos & dicentes, nihil habemus aliud quod apponamus, nisi panem illum, quem duobus antè diebus, & ne ipsum quidem sponte, dedit cuidam pauperi. Cùm in altera igitur lance eum imposuissent, fecerunt trutinam ex vtraq; parte ex aquo propendentem. Tunc illi Publicano dicunt viri candidati: Recedens adde huic pani & operare: Nam illi, quos vides, nigri sunt te accepturi. Cùm statim itaq; experrectus esset, & ad se rediisset, agnouit vera esse, qua visa fuerant. Nam quacumq;, ab ineunte atate, ab eo facta fuerant, & quorum iam erat oblitus, videbat

illos

illos Æthiopes vtiq; congregantes, & in lancem imponentes. Quamobrem sæpe obstupefactus, Papæ, dicebat, quanta est virtus eleemosynæ? si enim vnus panis, isq; per iram pauperi proiectus, tantum poterit, à quam multis malis poterit se liberare qui hilariter bonis suis impertitur pauperes! Adeò ergo munificè vsus est eleemosyna, & tam abunde ambabus, vt dici solet, effudit manibus, in ventres pauperum effundens, vt postquam omnia profudisset, ne suo quidem parceret corpori, sed eo quoque aleret pauperes vendita libertate. Hæc & plura de Publicano, qui Petrus appellabatur, narrauit Eleemosynarius; quibus docuit, iudicium (sanè *Particulare*) aliquando nonnullis, antè ostendi, quàm *Particulare* vltimum morte obita, ac re ipsa peragatur. Quamquam hoc Petri iudicium visio potiùs iudicij, aut comminatio, commonitioque dici debeat, quàm iudicium verum; siquidem neque sententia Iudicis lata est, neque via salutis, hoc est, vita ista finem habebat, qua durante, semper licet, cum diuina gratia, resipiscere. Tota igitur iudicij visio eò spectabat, vt doceretur, quàm pretiosa sit in diuina trutina, largitio eleemosynarum; quam Petrus quo modo didicerit, prolixè ibidem à S. E-

leemone percenſetur, quod exemplum tamquam in ſpeculum inſpicere omnes par eſt.

Haud abſimilis fuit illa viſio alterius iudicij, qua & imaginum ſacrarum cultus defenſus eſt; & ſimul, quid apud diuinum tribunal poſſent etiam mortalium pro mortalibus preces, demonſtratum. Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in expoſitione pro Concilio Florentino, ſeſſione quinta, & poſt eum Cardinalis Baronius Anno Chriſti 842. memorant ex antiquioribus monumentis, Theophilum Imperatorem, Michaëlis Balbi filium, eminentiſſimè clarum, delapſum eſſe in hæreſim eorum, qui imagines ſacrilegè oppugnabant; ſed non impunè, os enim eius, quo pias effigies impiè irridebat, ita illi miſerè diſtortum eſt, inque tam amplum barathrum à ſe diductũ, vt, luce admiſſa, viſcera conſpici poſſent, rictuſque exhiberet, quidquid ſtomacho erat ingeſtum. Quæ pœna haud obſcurè diuinitus immiſſa, illi errorem ſuum cæcitatemque detexit. Nam & peccatum ſuum agnouit, & ſanctas imagines colendas atque honorandas eſſe, vtiliter caſtigatus, credidit; vtque palàm oſtenderet, venerabilium imaginum adorationem laudabilem

III. THEOPHILI IMPERATORIS ICONOMACHI, IN HAC VITA IVDICIVM.

Baron. An. 842. n. 8. 9. 10.

bilem

bilem esse, arreptam è sinu cuiusdam eorum, qui tum fortè aderant, imaginem, magna reuerentiæ exhibitione, palàm est exosculatus. Neque tamen hæc retractatio suffecit, ad hæresin expiandam. Siquidem regina vxor, pia femina, in somno vidit illum ad diuinum tribunal rapi. Erat id metuendum sanè spectaculum. Graues ei catenæ in brachia & crura indebantur, & ferro ventrem quoque vinctus, ab innumerabili præcedentium sequentiumque multitudine spirituum, necquidquam reluctans trahebatur. Vtque futuri euentus expectatio terribilior esset, ante illum omnis generis instrumenta, ad torquendum & cruciandum parata portabantur. Hæc intuentem ad irati Iudicis conspectum duxerunt Theophilum, ante quem eum miris modis trepidantem statuerunt. Iam omnia ad iudicium parata erant, cùm exterrita Augusta, ad tremendi illius Iudicis pedes supplex prouoluta, lachrymisque vberrimis inundata, pro viro suo enixissimè est deprecata. Audijt Iudex orantem, & ad flentem conuersus dixit: *Mulier, magna est fides tua: propter te sacerdotumq; tuorum preces, coniugi do veniam.* His dictis ministros supplicij compellans ait:

Soluite

Soluite eum vxoriq́; eius tradite. Ita, ait Gennadius Patriarcha, *imaginum oppugnator Theophilus diuinorum & sanctorum virorum, & Augustæ seruatus est precibus.* Quippe eodem ipso tempore Patriarcha Methodius cum clero, pro illius conuersione, Deum rogauerat; eaque de caussa, nomina Theophili & omnium hæreticorum singulatim scripta atque in libello annotata, sub sacra mensa collocauit; eademque nocte, qua Regina iudiciū illud mariti sui instrui conspexerat, vidit & ipse cælestem Genium, eleganti forma conspicuum templum ingredientem, atq; hæc verba sibi dicentem: *Episcope: exauditæ sunt preces tuæ: veniam Theophilus impetrauit.* Somno experrectus, illico ad sacram mensam aduolauit, libellumq́; à se paulò antè conscriptum inspexit, reperitque Theophili nomen, quod ipse primo loco apposuerat, penitus oblitteratū. Hoc iudicium reginæ est ostensum marito illius impendere, vt, quamquam ipse errorem suum abiecisset, vel vxor eius ad preces pro eo, indicendas & fundendas excitaretur. Sæpe enim restat iudicium etiam conuersis subeundum. Quia aliud est peccatum deserere, aliud expiare. Fuit autem hoc quoq;

IV. Ioannis Bassertari, in hac vita supplicium.

Ioan Diacon. in vita S. Greg. l. 4. c. 84. & ex eo Card. Baronius An. 875. tom. 10.

C iudicium

iudicium monitio, & quædam imago dumtaxat iudicij Particularis, ad quod omnes citabuntur, morte apparitorem agente.

IV. IOANNIS PRESBYTERI, IN HAC VITA IVDICIVM.

Possum, hoc loco, multa, super morituri entibus iudicia sua videntibus antè, quàm animam exhalarent, memorare, quibus & ipsi, & alij, ad vitæ emendationem sunt excitati: inter quæ sit illud, quod Ioannes Diaconus tradit, tempore Leonis Papæ quarti, Anno Christi, circiter 855. in cœnobio S. Gregorij, ad Cliuum Scauri, contigisse, in hunc modum: *Leonis Quarti Pontificis tempore, cùm Megistus Ostiensis Episcopus, & Apostolicæ sedis Bibliothecarius, eidem monasterio præesset, Ioannes presbyter eiusdem Præpositus cum quadam fœmina turpiter viuens, vehementissimo podagræ dolore correptus est. Qui medicorum manu cauteriatus per exustionis vulnus, calcem cœpit effundere; quam restringere nullis artibus præualens, in tantam desperationem perductus est, vt ab omni illicitis fœminæ visitatione desisteret, & illa sibi alterum sub eodem facinore copularet. Sed post annum presbyter ad pristinam sanitatem reuertens (quamquam propositum sibi fuisset, vt vlteriùs nullam contingeret) ad eam tamen, misso nuntio, futuro die Dominico, se redire, profectus est. Quo recepto,*

Ioan. Diacon. in vita S. Greg. l. 4. c. 86. & ex eo Card. Baronius. An. 855. tom. 10.

cepto, vbi suo desiderio votum quoque mulier-cula conuenire gauisus est, ad balnea processit. Vnde reuertens, tantum lætitiæ potionibus & cantionibus se dissoluit, vt subrepente somno, interesse nocturnis cum fratribus, numquam potuisset officiis. Præualebat scilicet Venus & Bacchus, vt turpe exemplum & plus quàm Herculanum balneum, aut thermas Neronianas, prodere cogeretur. *Eadem nocte cuidam presbytero & monacho beatus Gregorius in somnis apparens, ait: Surge & dic Præposito, vt pœnitentiam agens, peculium suum, quod congregare non puduit, pro peccato conscientiæ suæ, dispergat, quia die tertia funditus extinguetur è vita. Quod Præpositus vehementer vt audiuit, expauit; & quia mandato Gregorij incredulus esse non poterat, pœnitentiam cœpit, cunctaq; sua sanus distribuens, tanto febris ardore correptus est, vt à diluculo diei tertij vsq; ad horam tertiam, ingenti fragore, præ incendio, linguam ab ore proijciens, vltimum flatum protraheret. Quem presbyteri tam duriter laborare videntes, deputatis illic monachis, qui cum psalmodijs eius exitum commendarent, ipsi pro eo studuêre omnipotenti Domino solemnes hostias immolare. Sed monachi psalmodiam deserentes, non timuerunt inter se morienti fra-*

tri detrahere. Cùm ecce presbyteri à missarum solemnijs circa horam septimam remeantes, Ioannem presbyterum, quem incredibiliter cum morte luctantem reliquerant, leniùs se habere mirati sunt, eumq; nominatim clamare cœperunt. Mox ille oculos subridendo concutiens: Parcat, inquit, mihi Dominus; fratres: vsq; nunc coram Christo præsentibus multis millibus angelorum, cum diabolo ad judicium steti, & adiuuantibus me sanctis Andrea & Gregorio, cunctis eius obiectionibus benè respondi: sciatis autem quia monasterij sextarium, modium, libram, consuetudinem eleemosynarum, & luminum, omnemq; mensuram curiosißimè Christo quærenti vsque ad scabellum pedum eius portaui. Sed de vna obiectione, fateor, conuictus erubui, de qua me nimium, sicut vidistis, laborando vexaui, & me adhuc liberare non potui. Nec enim sufficit, in multis esse innocentẽ. Satis est vel vnâ catena teneri. *Cumq; fratres de ea requirerent, ait: Non audeo dicere, quia quando vos me clamastis, & à sancto Gregorio redire iussus sum, vt vobis etiam de mensuris, & consuetudinibus monasterij ponerem rationem, diabolus conquestus est, putans quòd me pater Gregorius ad pœnitentiam remisisset. Quapropter beatum Gregorium vadem dedi, ne commo-*

commotam calumniam cuilibet reuelarem. Illis magis imminentibus, & se pro eo deprecaturos Dominum promittentibus; vt caussam fratribus reuelaret: defunctorum quorumdã domos; & viuentium merita proferebat, dicens: Iste dignus, iste indignus est. Rursus interrogatus; ad monachos, qui pridem secum remanserant, conuersus est, dicens: Omnia in quibus mihi detraxistis, fratres, audiui, quamquam respondere nequiuerim, & impedimentum mihi non modicum generastis, quia tam à vobis, quàm à diabolo sub vno tempore accusatus nesciebam, cui calumniæ primitus responderem. Sed si quando quemlibet migrantem videritis, compatimini sorti communi, & nolite de eo iudicare, qui ad tam districti judicis cum criminatore suo judicium vadit. His expletis, cunctos jubet abscedere; solum presbyterum, qui sibi mortem prænuntiârat, secum tenens. Qui solus remanere pauescens, alterum secum tenuit, hortatus vt causam pro qua conflixerat, saltem sibi pandere non timeret. At ille vehementer ingemuit, & conuerso ad parietẽ capite clamabat, dicens: ô Andrea, ô Andrea, hoc anno pereas, qui me prauo consilio ad periculum compulisti. Erat illa ipsa caussa, in cuius iudicio ita arctabatur, vt satisfacere accusatori non posset.

Ita Deo disponente, vt iudicio suo moneret viuentes, quàm seuerè Deus iudicet, in exitu vniuscuiusque. Pergit verò Ioannes. *E vestigio Zacharias medicus, qui anno præterito ad suos videlicet Saracenos apostatando reuersus est, affuit; tactisq́; temporibus, iurare cœpit, presbyterum ex eâdem valetudine minimè moriturum. Quem languidus vt audiuit, cum ingenti animaduersione repulit, dicens: fratres iam omne corpus meum est mortuum, in extremis faucibus spiritum permissum retineo, continuò moriturus, tantùm psallite vt reuideã angelos, quos videbam, & innuens vobis ostendam. Quibus orantibus totus cœpit tremere, pallescere, sursum desideranter aspicere. Cùm subitò spiritus aduentare conspiciens, reuolutis terribiliter oculis, monachis innuit, & abscessit; eosq́; tanto terrore perculsos dimisit, vt multis noctibus ibi iacere timuerint.* Quis non timeret? *Eodem die, sicut postea deprehensum est, eodemq́; momento, quando presbyter moriens Andreæ periculum fuerat imprecatus, idem Andreas fundi Barbiliani, positi scilicet in via Ostiensi, conductor in lectulum decidit, in quo per multum temporis continuo languore correptus, ita totus emarcuit, vt omne corpus eius particulatim videretur dissolui. Cumq́; desfluentibus*

entibus carnibus consumi posset, mori autem non posset; vxorq́; fœtorem vulnerum, viriq́; cruciatus jam sustinere non poterat, intellexit tanti languoris incommoda sine diuina vltionis sententia, hunc nullatenus incurrisse. Quem flendo curauit inquirere, vt quoniam à moriente Præposito frustra vocari non poterat, quid cum ipso commiserat, vt monachis reuelaret; si fortè Dominus eius confeßionem recipiens, eum à tantis cruciatibus liberaret. At ille cognoscens malum, quod fecerat, latere non posse, monasterij monachos conuocari rogauit, eisq́; confessus est, cum eodem Præposito quasdam monasterij chartulas rapuisse, ac receptis pretijs extraneis tradidisse. seq́; certum existere, quia pro hoc flagitio mori non posset, quousq́; hoc coram omnibus reuelaret. Quod videlicet verum fuisse, rei euentus euidenter ostendit: nam mox vt tantum facinus cunctis innotuit, is qui dudum mori volens non poterat, inter verba suæ confeßionis spiritum efflauit. Quem idcirco omnipotens Deus diu cruciari voluit, mori autem donec reatum suum confiteretur, non permisit, vt exemplo sui cruciatus ostenderet, quid consumptores rerum Gregorij de semetipsis vbique sperare debuissent. Vides hîc iudicij diuini exordia adhuc viuentibus exhibita, vt vel ipsi fu-

giant à facie arcus, vel alij alieno periculo discant sapere peccatores. Quasi eos hoc pacto compellaret benignus iudex:

Vos ego nunc moneo. Felix, quicumq; dolore
Alterius, disces posse carere tuo.

V.
STEPHANI EREMITAE IVDICIVM.
Ioan. Climac. lib. de 30. Gradib. grad. 7.

Apud Climacum Stephanus quidam solitariam & quietam vitam adamauerat. Is cùm longam ætatem monastico viuendi genere consumpsisset, ieiunijs multis emaciatus, lachrymis creberrimis ablutus, alijsq; virtutum ornamentis cælo charus (cellulā enim ad radicem montis, in quo sacram illam diuinamque visionem speculatus olim fuerat Helias, sibi construxerat) hominibus imitandus, tremendus dæmonibus, bestijs ipsis venerandus (nam cùm in eremo esset, leopardum quoq; è manu sua nutriebat) consilium cepit maioris laboriosiorisque pœnitentiæ sectandæ. Profectus est igitur ad Anachoretarum locum, cui *Fides* est nomen. Qua in sede, cùm annos aliquot, arctissimo vitæ instituto, peregisset (erat enim is locus ab omni consolatione mortalium penitus remotus, omnibusque ferè hominibus inuius: certè, septuaginta circiter millibus passuum, ab omni hominum consortio habitationeque disiunctus) rursus extremo

extremo vitæ tempore redijt, cupiens in cellula sua priore sancti illius montis habitare. Erant ibi duo quoque è Palæstina discipuli admodum religiosi, qui & ipsi cellulam senis obseruabant, in qua postquā paucos egit dies, in morbum cecidit, ex quo & mortuus est. Vno die priùs, quàm moreretur, repentè animo attonitus, apertis diductiùs oculis, ad dexteram atque sinistram partem lectuli, inquietiùs circumspicere cœpit, & quasi quidam rationem à se exigerent, cunctis, qui adstabant, audientibus, varia velut responsabat. Aliquando aiebat: *Ita sanè: Sic reuera est; sed pro hoc tot annos ieiunaui*: Aliquando autem: *Non certè, sed mentimini, hoc non feci.* Deinde rursus: *Ita, iterum est; hoc ita est; sed fleui, sed ministraui.* Ac rursus: *Verè me accusatis.* In quibusdam etiam dicebat: *Ita sanè, & quidem ad hæc quod dicam, non habeo; ideò misericordia est.* An hoc non est in iudicio respondere? atqui tum adhuc anima corpori inerat, adhuc Eremita viuebat, & spirabat. Ita est. At censeri debet, non *Iudicium* tum fuisse, sed *tentantis diaboli*, & ad desperationem adigere conantis insultum. Qui etsi non omnibus visibili aspectu se præbet, sub mortem,

aſpiciendum; vbi tamen poteſt, & permittitur, neque hoc ſchemate abeſt. Siquidem & D. Martinus hanc laruam habuit aſpectabilem. Nam cùm moribundus & ſupinis oculis in cælum defixis iaceret, repentè Cacodæmonem vidit ſibi terribili formâ aſſiſtentem, quem his vocibus perquàm ſanè generosè affatus eſt: *Quid hîc aſtas, cruenta beſtia? Nihil in me, funeſte, reperies. Abraha me ſinus recipiet.* Non exercebatur tunc iudicium, ſed bellum. Quamquã illud liceat inde documentum trahere: neminem noſtrum debere ſibi ſecuritatem, eo in agone, promittere, ſi Stygia hæc bellua etiam ſancto Martino fuit auſa adeſſe, exitiumque machinari. Quem noſtrûm morientem non aſſiliet ille, qui ne quidem ei pepercit, à quo toties tamque gloriosè fuit triumphatus? Væ illis, qui, dum ſunt integris viribus, ſemper ſuccumbunt; quomodo pugnabunt tunc, cùm robur omne & corporis & animi proſternetur? Nam etſi non omnibus aſpectabili formâ ſe ſiſtere, ſub mortem, permittatur hæc larua, ſicut S. Martino, & multi animo ceriti videre tunc ſibi videantur, quod non vident; certè vix quiſquam eſt tam ſanctus, quin inuiſibili arte impugnetur

Surius 11. Nouemb.

netur ab Orco moriturus. Quo pacto enim tunc non tentaret hominem, cùm tam modicum tentandi tempus restat, qui tota id vita est machinatus, vt eum præcipitaret? Hinc *Agon*, non tam ob luctam cum morte, quàm cum cacodæmone subeundam, tempus illud mortis vocatur. Ad cetera certamina, quantis sumptibus laboribusque homines præparantur? ad hoc vltimum, contra tantum hostem accedunt imparati? Sudauit in eo Stephanus, adeò, ac si iam ante ipsum Dei tribunal astaret. Si prolusio tam est seria, quid erit dimicatio? Itaque ad hunc Agonem homo sese debet armare, fide ne desperet; cruce, vt dicere cum contemtu ad diabolum possit; *Quid hîc astas, cruenta bestia?* pœnitentia, vt dicere audeat, *nihil in me funeste reperies*; spe, cum qua dicat: *Abrahæ me sinus recipiet*. Quia & cum Stephano illo certa debet peccata certis operibus pœnitentiæ dissoluere; vt audeat dicere ad tentantem: Hæc ieiunijs, illa orationibus, alia lachrymis, alia eleemosynis redemi. Sic non timebit calumniatorē; sed tentanti illi, rationem poterit reddere: quæ etiam postea, apud diuinum tribunal, valebit. Non enim exigit iustus judex, quod iam solutum.

Cùm

VI. ALIVS IVDICII DIVINI VISIONE CORRECTVS.

Cùm igitur ſupradictum Eremitæ exemplum, mali quidem dæmonis tentamentum; non autem, vt quidam volunt, verum, de quo loquimur, *Iudicium Particulare*, præ ſe ferat, aliæ ſuppetunt hiſtoriæ, quibus videtur Iudicium adhuc in hac vita morantibus habitum. Qualis hiſtoria, ſeu viſio Ioannis cuiuſdam legitur, è Græcorum Menæis, apud Raderum noſtrum, his verbis tradita. *Conſtantini Imperatoris æuo, fuit vir arte quadam ſua clarus, & ipſi Imperatori familiaris. Hic vitam egit parùm ſanctam, futuraq́ inferorum ſupplicia numquam ſecum animo pertractabat. Cui Dominus, qui omnia ad ſalutem & commodum ſuorum ſapienter adminiſtrat, ſpeciem quamdam viſionis, quæ ad eius valeret emendationem, obiecit. Secundùm quietem nocturnam viſus eſt ſibi videre virum quempiam, qui artis ſuæ ſpecimen exhiberet Imperatori, vti deinde familiares eſſent inter ſe, mutuâq́ conſuetudine delectarentur. Poſtea Imperator illi videbatur gladium ſtringere, illiusq́ comam in nodum collectam prèndere, quaſi eam, viro interim collum inflectente, eſſet illicò ferociter reſecturus. Et quia vir tantùm irridere videbatur Imperatorem; Imperator illo atrociter compellato; vbi ferrum capillos*

Matth. Rader. p. 1. Viridarij SS. die 23. Nou.

pillos

pillos tuos depascetur, tum & illi ceruicis tuæ sanguine tincti rorabunt; deinde ictu machæra, vnà fauces videbantur amputari, & jam ferro pectori imminente periclitatus ille, auxilium, vnde poterat, inclamauit. Ex illo porrò horrore, trepidatione & terrore formidabilis illius periculi & certaminis expergefactus vehementer fuit attonitus, cruceq; se premuniens, gratiam, inquit, tibi somne, hoc periculoso de agone menti meæ obiecto habeo. Et tamen, vt reor, hic vitam posteà non emendauit. Aliquantò verò pòst, morbo tentatus, opem cælestem implorauit. Quemadmodum multi, non nisi per morbos, & corporis dolores sanantur.

Rursum ergo tunc iam non per somnium, sed verum mentis quemdam excessum, videt se in sellâ quapiam secretâ constitutum, vel potiùs ad iudicij tribunal adductum, cui rex sanè tremendus, & supra quàm dici potest formidabilis, Pontificis cultu, & regiâ chlamyde indutus, videbatur. Ad cuius vtrimq; latus venerandos quosdam Mystas residere cernebat, se autem ad gradus infra altare illud, seu tribunal stare putabat. Ad dextram quidem regis, formosos quosdam ephebos consistere ratus, a sinistris verò aliũ quempiam inferiorem, ac modestiorem. chaos autem pone tenebricosum despectabat,

ſpectabat, quod ingentem tuenti metum incu-tiebat. Ita ergo ante tribunal cum magna tre-pidatione ſibi ſtare videbatur. Ad quem Rex iudicij præſes; age, inquit, adoleſcens, noſti qui ſim? & ille: Noui Domine, illum te, qui no-ſtrum corpus induiſti, filium iuxtà Dei, atq; ipſum Deum, quemadmodum litteræ noſtræ docent. Rurſum Rex; Ergo cùm ex litteris, vt tute fateris, me nôris, neq; eos, qui mihi aſ-ſident, ignores: quo pacto minarum illarum, quas olim Imperator Conſtantinus tibi incuſſit, es oblitus? Numquid neſcis, quid tibi dixerit? Haud neſcio, inquit, Domine, quin & terro-ris adhuc reliquias in animo circumfero. Et rex: ſi timoris adhuc aliquam partem circum-fers, quomodo ergo in flagitioſa adhuc vita perſe-ueras? Sed jam experimento diſce, me illũ prio-rem, nequaquam verò Conſtantinum fuiſſe, qui tibi horrificum illud ſupplicij periculum obiecit. Quod cùm dixiſſet, ſolo nutu circumſtantibus viſus eſt præcipere, vt Ioannem in barathrum, quod à tergo erat, deuoluerent. Hîc Ioannes lamentabili voce Dei matris opem implorabat, quæ ſubitò inter medios aſtare viſa eſt, & mox ſubſequi vox: miſſum hunc facite, propter ma-tris preces. Hic finis huius viſionis. Sed ille horrore perfuſus, atque in ſe reuerſus, id quod viderat,

viderat, religioso cuidam viro exposuit, qui ad illum: Da, inquit, Deo gloriam, qui talibus te documentis erudire dignatus est, & expergiscere, frater, ne tibi eueniat, quod nunc memorabo. Nam eodem, quo tu modo, alteri cuidam talis obiecta species est, qui virum quendam inter eos, qui sunt Imperatori à secretis, primarium, Georgium nomine, vidit vinctum magna vi abripi, vti mox in horrificũ chaos præcipitaretur. Hic, magna quidem libertate ductoribus illius resistere iussis, petebat, vt in vigesimum vsque diem illi induciæ darentur, pro illo emendationem pollicitus. Ergo fide data per auxilium sponsoris dimissus est. Cùm autem is, cui visum illud acciderat, ad se reuersus, facilè quò res tenderet, coniectaret, Georgio illi, de cuius salute agebatur, id quod viderat, non cunctatus est referre. Erat enim illi non ignotus. Qui cùm hæc audisset, somnia ratus pro nihilo habuit, & mores non correxit. Diebus xx. elapsis Georgius de medio sublatus, debitum omne, vt ille pollicitus erat, persoluit. Quæ cùm vir ille a Monacho ad rem testandam narrata audisset, menteq́; ea, quæ audisset reuolueret, rebus suis aperte sine rubore in meliorem statum compositis, cœpit mores emendare, diuq́; cum virtute viuendo superstes, tandem defunctus ad æterna cælitum domicilia migrauit.

Ex

VII. IVDICII INSTANTIS VISIONES QVAM VTILES?

Ex his quoque duabus historijs non conficitur, Iudicium particulare verum mortem antecedere; visio Iudicij, non est *Iudicium*, sed illius quædam delineatio, & imago; &, vt rem dicam, Iudicium comminatorium, seu *comminatio* quædam extraordinaria Iudicij, quæ pertinet ad particularem quamdam prouidentiam, qua Deus vtitur ad instruendos terrendosq; peccatores, vt à via sua pessima recedant, & pyraustæ interitum non imitentur, quæ sponte inuolat in flammas. Quod si faciunt, bene est; ostendunt etiam eâ ipsâ resipiscentiâ, se antè non verè fuisse iudicatos, cùm saluentur, qui tamen sibi antè videbantur sententiam damnationis accepisse; quæ si reipsa, & non tantùm imagnatione, aut visione aliquâ, in ipsos fuisset pronuntiata, incommutabilis atque æterna esset. Quòd si quidam hæc talia, tamquã somnia spernunt, tantò postea seueriorem Iudicem experiuntur, vt qui tot scelera afferunt, & iustitiam, tam seriò moniti, timere non didicerunt. Quo loco facere non possum, quin moneam eos, quibus non semper de nihilo vel sanis talia in somnio visa, vel moribundis ostenduntur, Sæpe

mens

mens ipsa scelerum sibi conscia atrocia somniandi præbet occasionem materiamq;. Sæpe Angelus, sæpe ipse Deus talia immittit. Intolerabile damnum est, talia contemnere; lucrum immensum, trahere in documentum. Confessione, contritione, pœnitentiâ eiuscemodi ostenta si dispungantur, numquam nocet, semper prodest; prodest autem numquam, si contemnantur. Cygni dulcis sanguis ad cor confluens, eũ in morte canere, Hyænæ tristis sanguis eam plorare facit. Sic sæpe tristis conscientia plorabilem morituro suggerit visionẽ, cùm interea iusti, cum Simeone, & Martino, & alijs SS. cygnis dulcissimè canant, in suo funere. Hyænæ sunt inter homines multæ; sed non multæ sua scelera deplorant. Vnde suismet imaginationibus iudicium sibi fingunt; vtile sanè, si vterentur. Nam vel vera visa, vel salutaria eiusmodi somnia admonitiones sunt, *vt fugiant à facie arcus*; & iudicium declinent, quod vel in somnio præuisum, vel de cælo ostensum horruerunt. Sed hyænæ sunt, morte vicinâ, sanguis mœstus illis ad cor confluit, & conscientiæ præsagium illis terrores proponit, quos meruerunt. Sunt ergo, quibus metus ille, iudici-

umque intentatum lachrymas vtiliter excu- tit; & sunt, qui fleant, non quia iudicanda commiserunt, sed quia amici, opes, volu- ptates sunt deserendæ; quas stulti pluris so- lent æstimare, quàm futura quæ pro som- nijs habent. Serò hi, heu, nimis serò eui- gilabunt, cùm iam non per admonitionis modum sed reipsa iudicabuntur. Quod si nunc seriò crederent, non modò pœniten- tiæ causa ad templum currerent, sed etiam ad Phasim vsque nauigarent.

VIII. Ivvenis ivdicio svo viso ad con- fessio- nem ada- ctvs. Abraham Bzouius An. Chri- sti 1260. num. 19.

Recenset in hanc rem ex M. S. Vaticano, Ecclesiasticæ historiæ continuator exem- plum istud: *Circiter hæc tempora fuit in Can- tabrigensi Academia iuuenis quidam Guiliel- mus Vidius, qui suo nomini respondens (quod a- pud Anglos hominem efferatum & immodestum significat) dissolutiùs, & petulantiùs vixit. Id tamen in more positum habuit, vt singulari qua- dam propensione B. Virginem matrē Christi ve- neraretur. Cubabat simul in eodem lecto cum Iacobo quodam, qui simul litteris operam dabat, & Londini postea sacerdotio donatus est. Guili- elmus verò quadam nocte ita tremebat, tanto tamq; insitato sudore totus madidus, tantum tumultum ciebat, vt expergiscens socius mira- retur, conareturq; hominem, sed frustra ali- quamdiu*

quamdiu è somno excitare. Qui tandem ad se rediens dixit, se fuisse ante summi Iudicis tribunal raptum, & exactam ab eo totius vitæ præteritæ rationem: in qua reddenda cùm hæreret, neq; se expedire posset, ab ijs criminibus, quæ dæmones illi intentabant; quæ curiosè & accuratè erant scriptis mandata, sententia Iudicis latâ, abreptum fuisse ad æternas pœnas. Ibi verò illo circumspiciens cùm B. fortè Virginem vidisset, illius opem implorasse, eiusq; precibus dimissum fuisse. Nec fuisse hoc vanum aut inane simulachrum, res ipsa admirabili euentu declarabat. Cùm enim euigilasset, reperit in manu chartam, in qua omnia, quæ vmquam in Deum grauiùs deliquerat, crimina complectebantur; proximaq; luce, ad sacerdotem perrexit, apud quem accurata exomologesi se expiauit; & tam piè deinde, tamq; durè atq; austerè vixit, vt repentinam hominis immutationem omnes admirarentur. Atque hinc intelligimus, & quid iudicij apprehensio possit apud peccatorem; & quid Deiparæ patrocinium valeat, apud Filium, pro peccatore. Cùm ergo peccatores nos esse omnes agnoscamus; superest, vt omnes illius patrocinium quotidie exoremus.

CAPVT IV.

Aliquando in exemplum aliorum, Iudicium Particulare, in hac etiam vita quodammodo inchoari.

I. CHRYSORII ET THEODORICI, IN HAC VITA INCHOATVM IVDICIVM.

SVperſunt autem aliæ quàm plurimæ in monumentis veterum hiſtoriæ, quibus doceri poteſt, nonnumquam, ſpeciali diſpenſatione diuinâ, in peccatoribus quibuſdam, ad noſtram monitionem atque exemplum, Iudicium particulare, paulò ante mortem, incepiſſe; quippe nonnulli adhuc viuentes videnteſq; ſententiam ſuæ damnationis audiuerunt. Inter quos recenſetur is, de quo D. Gregorius ſequentia memorat. *Vir in hoc Mundo valde diues fuit Chryſorius nomine, ſed tantum vitijs plenus, quantum rebus; ſuperbiâ tumidus, ſuæ carnis voluptatibus ſubditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accenſus. Sed cùm tot malis Deus finem ponere decreuiſſet, corporali hunc moleſtia percußit, qui ad extremum veniens eâdem horâ, quâ jam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos ſpiritus coram ſe aßiſtere, & vehementer imminere, vt ad inferni clauſtra ſe raperent. Cœpit tremiſcere, palleſcere, & ſudare, & magnis*

S. Greg. l. 4. Dial. cap. 38.

vocibus inducias petere, filiumq́ suum nomine Maximum, quem ipse iam monachus monachū vidi, nimijs & turbatis vocibus clamare dicens: Maxime, curre, numquam tibi mali aliquid feci, in fide tua me suscipe. Turbatus mox Maximus lugens adfuit, & perstrepens familia conuenit, eos autem, quos ille insistentes sibi grauiter tolerabat, ipsi malignos spiritus videre non poterant. Sed eorum præsentiam in confusione, in pallore ac tremore illius, qui trahebatur, videbant. Pauore autem tetra eorum imaginis huc illuc vertebatur, in lectulo jacebat, in sinistro latere aspectum eorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem, ibi aderant. Cumq́ constrictus nimis relaxari se etiam posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare: Inducias vel vsque manè, inducias vel vsque manè. Sed, cùm clamaret, in ipsis vocibus, de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirum constat, quia pro nobis ista, non pro se viderat, vt eius visio nobis proficiat; quos adhuc diuina patientia longanimiter exspectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse & inducias petiisse quid profuit, qui easdem inducias, quas petiuit, non accepit? Potest hoc *judicium* vocari *inchoatum.* Tanta enim est nonnullorum malitia, vt, ex speciali dispensatione diuina, iudi-

 cium

cium eorum etiam in hac vita incipiat; dum eos reprobat Deus, & abijcit, atque sine pœnitentia è vita exturbat; ostenditque jam ante mortem, quem finem sint habituri; immò dæmonibus tradit abripiendos: aut fulmine percutit, quod fecit illi Africæ regi, qui, Ioanne IX. Pontifice, (cùm Saraceni ex Africa in Italiam traiecissent, atque vrbem Consentiam oppugnassent) per suas scalas muros vrbis conscendens, ceu alius Capanæus fulmine ictus, pœnas, quas meruit, cœpit. Tale iudicium cœptum est etiam in Theodorico Ostrogothorum rege. Nam, postquam Symmachum & Boëtium occiderat, cùm ei in cœna magni piscis caput appositum esset, visus est sibi videre in eo Symmachi caput, inferiùs labrum imminitantis speciem mordentis, quemadmodum ipse Elpidio medico postea narrauit. Qua imagine ita territus est, vt tunc decumbere incipiens, numquam dicere desierit, se ea imagine terreri, quoad animam egit. Habuit hic adhuc viuens suum accusatorem, vt multi etiam nostro tempore, quorum iniuriæ in cælum clamant. Ab accusatione autem Iudicium incipit.

II. Ac ne accusatores tantùm afferam, pro-

ducam & executores. Anno post Christum natum millesimo trecentesimo septuagesimo ferme sexto, *Prælati quidam, nescio quo spiritu inducti, de Franciscano Ordine abolendo consilia inter se contulerunt, & ad eam rem perficiendam quoddam aliquot Episcoporum conuenticulum coëgerunt. Erat autem in eadem vrbe Ecclesia præcipua, & in Ecclesiæ fenestris vitreis duæ imagines pictæ, vna sancti Pauli, qui ensem, altera S. Francisci, qui crucem manibus tenebat. Nocte adituus visus est sibi Paulum audire hæc dicentem: Quid agis Francisce? cur tuam non defendis familiam? Cui ille: Quid faciam? nihil habeo, præter crucem, & hæc ipsa me admonet de patientia seruanda. Tum Apostolus hortari, ne tantam ferret iniuriam, suumq; ei offerre gladium. Territus adituus simul ac illuxit, accurrit in templum, certoq; vidit vtramq; imaginem insignia inter se commutasse, atq; in Pauli dextera crucem adhuc esse, Franciscum verò gladium habere cruore stillantem: quod dum secum tacitus miraretur, increbuit rumor, Episcopum illum, qui eius consilij auctor erat, repertum esse mortuum, præcisis ceruicibus. Ac ipse quoq; nocturnum visum narrare cœpit, ac pro eius fide ipsas imagines omnibus ostentare.* Quis hoc, sine

S. PAVLVS ET S. FRANCISCVS DIVINI IVDICII IN HAC VITA EXECVTORES.

Hieron. Plat. l. 1. de bono stat. Relig. c. 33.

diuino Iudicio, contigiſſe arbitretur? Habemus reum Epiſcopum, Ordinis ſanctiſſimi impugnatorem; habemus accuſatorem Paulum, executorem Franciſcum, haud dubiè & Iudicem ipſum Deum. Cùm enim capitis amputatio pœna fuerit, neceſſe eſt, ſententiam præceſſiſſe. Quamquam capitis amiſſio exordium potiùs, quàm ſupplicium totius pœnæ extitiſſe meritò videatur. Vnde & repentina mors gladiuſque lictor fuit, quo reus ad iudicium coràm ſubeundum citabatur; in quo Iudicio æternæ demum mortis ſententiā erat accepturus. Audiant hoc Religionum maledici impugnatores; audiant calumniatores Religioſorum, mercedem fellis ſui non modò referunt, è viuis ſublati, ſed etiam, vt referant, è viuis tolluntur. Quemadmodum enim Ordinum piorum Conditores, in eos, qui Religioſis ſuis beneficia conferunt, viciſſim benefici ſunt, eoſque ſæpe, ne in calamitatem incidant, defendunt; aut eripiunt, ſi quando inciderunt; ita, vel Apoſtolis Eccleſiæ Protectoribus hortantibus, ſæui ſunt in ſæuientes; & pars beatitudinis illorum eſt, poſſe hoſtes plectere, iniuriamque ſuorum vindicare. Hoc eſt, quod legimus: *Lætabitur*

Pſal. 57. 11

juſtus

justus, cùm viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Et quamquam non semper in oculos incurrat gladius aut Pauli, aut Francisci, incurrit tamen plaga eorum gladio facta. O quot, & quantos habebis Ordinis tui Momos, derisores, detractores, D. Francisce, Augustine, Ignati? Non fit de illis judicium? non vibratur ensis? at mille morbi, mille alia mala, mortes denique ipsæ istis infliguntur. Non ferunt iniuriam suorum clientum jam in tribunal euecti nostri Patriarchæ. Ad hoc *gladij ancipites in manibus eorum,* quos in eos stringunt, qui suos in illorum Ordiné dentes stringunt.

III. IVLIANI IN HAC VITA IVDICIVM INCHOATVM.

Haud multùm absimile est, quod Amphilochius, Fulbertus, & Antoninus alijq; narrant, Iuliano Apostata, in quem Deipara S. Mercurium, sicut D. Paulus S. Franciscum in memoratum Episcopum, immisit. Siquidem Iulianus Apostata, truculentissimus Ecclesiæ hostis, ad bellum Persicum profecturus, non Basilio solùm, verùm etiam populo eius, cùm primùm rediret ab hostibus, extrema se illaturum, fuerat interminatus. Quanti metus caussa esse possint minæ irati & armati Imperatoris, cuiq; facile

Amphiloch. in vita D. Basilij M. Antonin. in ser. de Deipara, part. 4.

Sum. tit. 15. In Chronograph. gen. 2.

facile est cogitare. Basilius igitur vt consternatos solaretur, aduersus immanissimũ tyrannum tuendos censuit. Qua autem arte maximè tueretur? Ad diuina confugit. Ieiunium populo triduanum indixit, quem in Dei Matris templo, in monte Didymi sito, precandi caussa congregârat. In eo tẽplo ossa S. Mercurij martyris asseruabantur. Is ergo martyr, per quietẽ Basilio sese obtulit, perspicueq; significauit, se fecisse, quod à Deipara iussus esset; nempe vt de impia Iuliani crudelitate pœnas sumeret, eumq;, tamquam cõmunis boni teterrimũ hostem, è medio tolleret. Excitatus hoc viso, & in admirationem raptus Basilius illico in Ecclesiam conuolauit, ac D. Mercurij sepulchrum adijt. Pependerant circa martyris monumentum antehac arma, quæ tunc Basilius præter morem abesse animaduertit. Sed paulò pòst ea in suum restituta locum alij quoque deprehenderunt. Erat autem inter ea, lancea iam interfecti Iuliani cruore respersa, & quodammodo adhuc rorans sanguine. Hoc tam luculento argumento motus est Basilius, vt rei sibi diuinitus reuelatæ certissimam fidem haberet. Itaque pauefacto populo animum spemque

magnam fecit, periculi ſublati, in ſublato tyranno. Totam enim recenſuit rem, vt geſta erat cum Iuliano. Quare luctũ eos conuertere iuſſit in gratiarum actiones. Vidiſſes admirabilem ſubitò mutationem. Nam ſicut, imbribus ceſſantibus, & fugatis nubibus, maior eſt gratia ſereni ſolis; ita longè iucundior fuit populo lætitia, poſt exactam tam triſtem inſtantis cladis expectationem. Quæ lætitia ex eo aucta eſt, quia non multò pòſt euentus docuit, Baſilium vera fuiſſe vaticinatum. Siquidem hiſtoriam illam omnem Libanius Iuliani Quæſtor Cæſaream veniens cõfirmauit, qui Perſico & poſtremo Iuliani bello interfuerat. Narrauit enim ignotum quemdam militem (nempe S. Mercurius is fuerat) cum ſplendentibus armis, in excubijs, apparuiſſe, qui lanceam validè vibrans, terribili impetu confoderit Iulianum, quiq; mox abſcedens ex templo deſierit comparere: cùm ille impius amentata haſta percuſſus, ſanguinem è pectore exceptum, manuq; caua cælũ verſus eijciens, inter ſacrilegas blaſphemias, diriſſimè vociferans expiraret. Ita Deipara Virgo non ſolùm potens eſt ad clientes ſuos in diuino iudicio, defendendos, ſed etiam ad

am ad accuſandam, extinguendamq; impietatem. Quis dicat autem hanc à Sancti martyris lancea illatam mortem ſine Iudicio, voluntate, & ſententia Numinis accidiſſe? Cœpit igitur tum Iudicium Iuliani, quando decretum eſt, vt lancea percuteretur; finitum eſt, quando iam mortuus in ignem æternum eſt ablegatus. Hîc iterum adeſte mihi, ô impij milites, ô barbari Duces, qui cælo bellum infertis, qui Eccleſiæ, qui Catholicis, qui Romanæ religioni, interitum minitamini: qui velut Goliath Danidi, ita nobis humilitatem, pietatem, preces, arma ſpiritualia exprobratis. Vos in gladio venitis, nos in nomine Domini. Hinc, protegente nos Deipara, alijsq; Diuis, tot è vobis Principes ceciderunt. Notus eſt catalogus; & verè dicere licet, plures à nobis proſtratos eſſe orando, quàm præliando.

IV. TERRIBILE IVDICIVM, IN HAC VITA, PRESBYTERI IMPOENITENTIS.

Iam nunc ſubiungenda eſt, inquit Petus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, *non antè mortui, ſed morientis presbyteri terribilis & multis nota viſio, qua audientium mentes digno timore concutiat, & ad cauenda æterna mortis mala, velut vehementi ſollicitudinis igne accendat. Apud caſtrum Liziniacum, quod in Pictauienſi pago*

pago situm est, nuper quidam presbyter erat, qui sacerdotalis ordinis supercælestem dignitatem, miserrima vitæ conuersatione deturpans, non ad animarum, quibus præerat, curam, sed ad carnis suæ voluptatem explendam, sacro ministerio vtebatur. Qui, iuxta Prophetam, lac gregis sui comedens, & eius se lanis operiens absque vlla spe æternorum, mercibus mercenarij auidissimè pascebatur. Mundißimam atque omnia mundantem Christi carnem & sanguinem in altaris Sacramento frequenter officio, non deuotione, sumebat, nec tamen ab immundis carnis operibus se cohibebat. Cùmque, vt sus immunda, multò tempore in cœno luxuriæ versaretur, & sui ipsius fœtoribus delectaretur, territus conscientiæ malo, sicut aliquando & mali ad horam compunguntur, familiaritatem quorumdã bonorum virorum expetijt, & Abbati Bonæ Vallis ac fratribus eiusdem monasterij se in amicitia, specie tenus, copulauit. Qui longo tempore eum de vitæ emendatione commonentes, & vt sæculo renuntiaret continuò adhortantes, nihil ab eo impetrare; præter inanem spem aliquando, potuerunt. Nam libenter, quæ dicebant, audire se fingens, & semper eos de conuersione suspendens, de societate sanctorum illorum gloriabatur: nec admonitione, vel exemplis eorum, à malis

Petrus Cluniac. lib. 1. c. 25. illustr. mirac.

malis retrahebatur. In his atque alijs perdita atque perdenda vita sua actibus perdurans, & obstinatione impia iram sibi in die iræ thesaurizans, in morbum incidit, quo post aliquot dies ingrauescente, ad extrema peruenit. Adierat eum visitationis gratia Prior iam dicti monasterij, atque cum eo aliquantum diei spatium, ipso quoque rogante, permanserat. Et ecce nocte superueniente, cùm cunctis discedentibus solus lecto eius aßideret, clamare terribiliter æger ille ad Priorem cœpit: succurre, ait, succurre. Ecce duo supra omnem feritatem expauescendi leones in me impetum faciunt, hianti ore, ac rictu feroci per frusta discerpturi, me totum consumere volunt. Deprecare citò Dominum, vt ab his eripiar, antequam morsibus eorum consumar. Dicebat hæc & tremebat, ac velut deuoraturos fugiens, timore defecto corpori vires addente, retrocedebat. Prior verò vocis illius ac gestus terrore turbatus, non sine multo & ipse timore erat. Ad preces tamen ipsa neceßitate impellente conuersus, pro misero illo, vt poterat, Dominum exorabat. Quo orante mutata voce æger, bene, inquit, bene. Recesserunt crudeles bestiæ, & per orationes tuas iam vltrà nusquam apparent. Et quia vsque ad vltimum spiritum semper compos sui extitit, nec vt quidam moti-

entium

entium solent, vel in modico sensu imminutus fuit, conuersus ad Priorem, loqui cum eo de quibuslibet veluti sanissimus cœpit. Cumq; tam de his, quàm de alijs, multa inter se verba conferrent, horæ fere vnius spatio elapso, rursum inclamare longè terribiliùs, quam primò exorsus est. En, inquit: en ignis de cælo vt torrens inundans descendit, & supra hunc lectum veniens, iam iamq; me, vsque in fauillam, comburet. Festina, adiuua, ora, si fortè ab hac morte eripi valeam. Et hac dicens, manibus & brachijs opertoria subleuabat, eaq; velut aliquid iuuare possent, inuisibilibus ignibus turbatus opponebat. Sed nequidquam. Non enim corporalia tegmina a spiritualibus incendijs tegere poterant, quem cælesti vindictæ impia opera exponebant. Prior adaucto timore, denuo ad orationem conuertitur, & quantum in tali casu possibile erat, Domini misericordiam deprecatur. Ille vt supra orationi instante, post paululum, patiens gratulationis vocibus preces eius interrupit, dicens. Quiesce, iam ab igne tutus sum. Nam dum super me (vt dixi) cum impetu descenderet, interpositus est linteus, vsque ad quem ignis peruenit, sed eum transire non potuit. Iam & ab isto periculo ereptus, oro ne à me discedas, quousque, quis horũ finis futurus sit, agnoscas.

Tunc

Tunc Prior, qui tam timore, quàm hoſpitandi neceſsitate recedere volebat, ſubſtitit: & ab oratione ſurgens, rurſum ei aſſedit. Cumq; eum tantis terroribus anxium conſolaretur, & vterq; ad inuicem vt priùs colloqueretur, ſubitò ægrotus ad inuiſibilia raptus obmutuit. Prior eum raptum ab humanis intelligens, rei exitum præſtolabatur. Cùm ecce poſt multum noctis ſpatium, homo ad ſe rediit, & miſerabiliter ingemiſcens, ait: ha, ha ad iudicium æternum raptus ſum, & (heu) miſer æterna morte damnatus ſum. Traditus ſum horrendis tortoribus, igne inextinguibili cum Diabolo & Angelis eius perpetuò cruciandus. Ecce, ecce, ignita ſartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum miniſtri detulerunt, eamq; ad me frigendum vndiq; ſuccenderunt. Et cùm Prior orationi, ſicut jam bis fecerat, tertiò quoq; incubuiſſet, ille ait: Ceſſa, ceſſa pro me orare, nèc pro illo vltrà fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Priore verò dicente, frater redi ad cor, & miſericordiam, dum adhuc viuis, à Deo require, ille adiecit: Putas, ait, me, vt inſanum loqui? non inſanio, ſed ſana mente, quæ dixi, confirmo. Et cucullam Prioris manu tenens, eum interrogauit: Nonnè hoc quod manu teneo cuculla tua eſt? Quo reſpondente, eſt, adiunxit:

iunxit: ſicut hac veſtis cuculla eſt, & ſicut hoc, quod ſubſtratum mihi eſt, palea eſt, ſic & hoc, quod coràm cerno, ſartago eſt. Et dum hæc loqueretur, gutta inuiſibilis ignis de illa, quam dicebat, ſartagine exiens, in manum eius, Priore vidente, cecidit, & mirabile dictu, cutem. & carnem vſq; ad intima oſsis conſumpſit. Tunc ille acri cum gemitu: en (inquit) indubia rei probatio. Nam ſicut iſta, quam vides, de ſartagine prolapſa gutta, carnis partem conſumpſit, ſic confeſtim totum me ignea vorago conſumet. Priore ad iſta ſtupente, iterum dixit. Ecce ſartaginem miniſtri ipſi infernales propiùs afferunt, &, vt me in illam inijciant; jam jamq; manus adaptant. Et, poſt modicum: Ecce linteum in quo iaceo, vndiq; concurrentes accipiunt, & me in ignitam ſartaginē, æternùm frixuram proijciunt. Hoc velut vltimum vale, mox vt Priori, atq; his, qui ad hoc horrendum ſpectaculum conuenerant, dixit, ſubtracta voce, ac reflexa ceruice, puniendum ſpiritum condemnatus ſpiritibus tradidit. Tantus verò terror omnes inuaſit, vt illicò vniuerſi aufugerent, neq; aliqui in domo vbi cadauer mortis remanſerat, remanere auderent. Facto manè miſerum cadauer ſepulturæ mandatum eſt. Poſt aliquot autem dies, cùm ad vniuerſos circa poſitos hac tam

terribilis fama peruenisset, rei veritatem pro-bare volentes tumulum aperuerunt, atq; fossam illam, quam in manu adhuc viuentis presbyteri gutta prænuntia damnationis fecerat, in mortui cadauere inuenerunt.

V. SIMILI IVDICIO DIGNOS ESSE SIMILES PECCATORES. Matt. 24. Psal. 75. 9.

Monuit Christus, vt, signis judicium sui præcedentibus, homines sibi cauerent; & signa *extremum Iudicium* antecessura summatim enumerauit. Hîc etiam, in enumerata historia, signa memorantur, quæ *Iudicium particulare* antecesserunt. Dixit olim Dauid: *De cælo auditum fecisti judicium: terra tremuit, & quieuit.* Quis non ad talia signa de cælo data contremisceret? O bone IESV, sunt tibi quidem multi pij, casti, sancti sacerdotes; sunt parochi multi ad officium suum & gregem tuum vehementer attenti: sed, prô dolor, quàm multi hodie etiam sacerdotes suprà dicto similes reperiuntur? Quærunt lanam, non oues; curant non animam, sed culinam. Quàm pauci sunt, qui solo fiunt sacerdotes zelo animarum? Vt domini fiant, vt reditus pingues habeant, vt se possint lautè sustentare, vt victum dapinare, sacris initiantur. Quid mirum, si postea nulla cura sit subditorum, si oues negligantur? cùm non oues, sed se

ipsum

ipſum curare cuticulamque ſuam velit paſtor? Quale initium, tale & medium, talis & finis, vltima primis reſpondent. O Deus bone, quàm multi ad mediam, immò ſupra mediam noctem ludunt, bibunt, vomunt; ſaltant, blaſphemant, nugantur, pænè etiam dixiſſem ſcortantur, qui manè poſteà, nulla facta confeſſione, nulla animi contritione præmiſſâ, adhuc ſemiebrij, vt ſacrilegium ſacrilegio addant, non jam Dei, ſed Bacchi atque Veneris myſtæ, cum ingenti plebis ſcandalo, illotis manibus, ad ſacra accedunt, & pectore polluto ſacrificant? Quàm multi inter tot otioſos, negligunt Canonicas horas, atque ea, ob quæ decimas accipiunt, inſuper habent? ſed vellicat eos conſcientia? ſed recurrunt ad confeſſionem? ſed audiunt monitionem? ſed adeunt ſubinde concionem? & incidunt legendo in eiuſcemodi hiſtoriam, vt contremiſcant? Ita eſt. Vellent cælum non perdere; ſed nec delicias ſuas volunt perdere. Applicant manum ad aratrum, ſed mox reſpiciunt. Sentiunt ſtimulum, ſed contra eum calcitrant. Dum audiunt è cathedra tonantem, ſpinis punguntur; egreſſi è templo iterum tales ſunt, quales in illud intra-

uerunt; rurſumque, tamquam ſus lota, luto ſuo inquinantur. Inter bonos boni; apud ſibi ſimiles, mox ſcrupulos abijciunt, concionis, & emendationis omnis obliuiſcuntur. Quin etiam nonnulli cum Religioſis per quàm familiariter tractant, vt religioſi non tam ſint, quàm videantur. Nulla contritio, nulla conuerſatio vera & ſincera, nulla apud eos eſt ſeria emendatio. Hinc Iudicium Dei *ſicut fulgur*, venit; hinc ſubitæ mortes: hinc *leones duo*, ſcilicet mandata Principum ſæcularium, & Eccleſiaſticorum, ſcandala tam publica ferre non valentium. Tum confugiunt pro conſilio & auxilio ad Religioſos; quod ſi impetrarunt, Religioſos non curant plus, quàm, pluuia ceſſante, arboris tegmen viator. Itaque eunt in antiquam ſiluam. Venit etiam aliquando ignis de cælo; incidunt minæ cæleſtes, æterna damnatio videtur capiti impendere; ſed facilè velum excuſationis oppanditur; obliuione omnia teguntur, aut procraſtinando diſſimulantur. Quid ergo reſtat, niſi vt in ignita tandem ſartagine tales coquantur? Hinc intemperiæ, hinc deſperatio; hinc nullum ampliùs emendandi propoſitum; hinc omnia conſilia & auxilia

xilia negliguntur; & ea succedit perturbatio, vt tales à Deo jam judicati, damnatiq; videantur, aut certè jam incipiant iudicari. *De his enim judicare nunc dicitur* Seruator, teste D. Augustino, *in quibus & potestatem corrigendi habet*, adde, & puniendi. Dederat Christus signum excidij Ierosolymitani *abominationem stantem in loco sancto*; seu abominationem vocauerit statuam Cæsaris à Pilato in templo positam, seu statuam Titi, seu Hadriani, seu ipsam abominationem desolationis, vt alij rectiùs volunt; idem erit signum Extremi Iudicij Antichristus, quem Daniel propterea *abominationem* esse indicat, & D. Paulus, *in templo Dei, quasi Deus esset*, sessurum dicit. Cùm enim ille regnabit, cùm pietatem tollet; Deus ornatum Mundi tollet; qui est ad Dei honorem productus. Sublata enim pietate, & cultu atque honore Dei, quid necesse est, Mundi cultum stare? sicut & templum illud destructum est, in quo Deus non iam cultus, sed ignominia affectus est. Pari modo, per *Iudicium particulare*, Deus tollit vnumquemque; & vel etiam in hac vita, judicium peccatoris, aut deuastationem iudicij præambulam incipit, quando ille, aut, cum Fran-

Aug. l. 13. Conf. c. 23

Matth. 24. 15.

Dan. 12. 11

2. Thessal. 2. 4.

cisci persecutore, verbis *abominationem desolationis* inducit in Religionem; aut, qui est peior gradus, cum Iuliano, vi vtitur, vastatque Ecclesiam; aut, qui est pessimus gradus, cum dicto sacerdote, abominationes in templo ipsæ facit. Quòd si enim punitur, qui è se ipso facit abominationem desolationis, quantò magis, si id facit, è publico communique templo? *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Quasi diceret Apostolus, non oportere abominationem desolationis in loco sancto stare, ne Iudicium Dei accersatur. Quod sanè non à sacerdotibus tantùm, sed ab ipsis sæpe etiam Episcopis legimus factum; vt adeò nemo se eximium arbitretur; si illi, qui judices ipsi esse debebant ceterorum, iudicium suum vel in hac vita inchoari meruerunt.

1. Cor. 3. 16.

VI. VDONIS ARCHIEPISCOPI IVDICIVM.

Metuendum est illud, quod de Vdone Magdeburgensi Archiepiscopo iudicium scribitur narraturq;. Superûm fauores eum & in studijs litterarum, ad scientiam, & in suffragijs cleri ad Episcopatum promôrant. Sed multis est doctrina & dignitas, quod

gladius

gladius furioso. Igitur & Vdo honore abusus est in ignominiam, scilicet spectaculũ futurus omnibus Clericis in libidines ac obscœnitates effusis. De eo Bapt. Campofulgosi verba sunt ista: *Christi anno quadragesimo, supra nongentos, imperante Othone tertio, in Parthenopoli vrbe Germanica, quæ in Saxonibus est, & alio quoque nomine Parthenopolis dicta, Saxonum linguâ Magdeburgum appellatur, Episcopus olim fuit Vdo nomine,* (Hartwicus quoque dictus,) *vir libidinosus & sacrarum virginum corruptor, qui prodigio ad eum gradum conscenderat, neq; signis ac diuinis vocibus commonitus, ab impudicitia sibi temperabat: quare viri religiosi, qui in ea regione rectè viuendi studio tenebantur, Deum, vt Episcopum aut corrigeret, aut tolleret, rogare cogebantur. Itaque cùm noctu in Cathedrali Ecclesia, quæ sub sancti Mauritij nomine, in Parthenopoli est, Federicus Canonicus, eiusmodi precibus operam daret, non sine ingenti formidine, vehementioris venti afflatu, omnia, quæ in templo erant lumina, extingui perspexit: nec multò pòst duos iuuenes venire, duo candelabra accensis cereis ferentes, & Christum cum parente eius, atq; Apostolis subsequi, à quibus cùm essent vocati sancti omnes,*

Bapt. Fulgosus l. 9. c. 12. dictorum factorũq; memorabilium. Itẽ Naucler. vol. 2. gener. 34 S. Antonin. Gothschalcus Holen. præcepto 6. Decalogi. Hartmannus Schedel in suo Chronico de tẽporibus

mnes, quorum corpora in eo templo quiescebant, visus est inter eos Mauritius venire, qui longa atque graui oratione, Vdonem Episcopũ accusauit: quem haud multò pòst Christus nudum afferri à duobus iussit, & damnauit. Is autem pugno ab ipsorum altero, qui eum portarant, in medijs renibus grauiter ictus, Christianam hostiam, quam in communione pridie eius diei sumpserat, reuomuit in calicem, qui altari impositus fuit: atq; securi percusso Vdone, rerum illarum omnium imago euanuit. Qua re vehementer perterritus Federicus, cùm ad altare accessisset, calicemq; in eodem esse, cum Christiana hostia inspexisset, & simul Episcopum mortuum humi iacentem, alios religiosos viros excitauit, qui ablatum inde Episcopi corpus in agro sepeliuerunt: cuius sanguine cùm respersum templi pauimentum esset, Sacerdotes ferreâ crate cruorem cooperuerunt, quem nouis Episcopis ostendere moris habent, vt eo sanguine a sceleratè viuendo deterreantur. Hæc autem quæ Federicus inspexerat, confirmauit Bruno Episcopi in diuinorum celebratione minister, nonnullis enarratis, quæ eâ ipsâ nocte, qua hæc gesta fuerunt, iter in equo faciens vidit. Hanc camdem historiam, sed eam ad Annũ MCI. referens, strictim recenset Ioannes Trithemius,

Ioan. Trithemius

mius, quia, vt satis notam, non putat fusiùs deducendam. in Chronico Hirsaugiensis Monasterij. Vide & Spec. Exemplor. p. 2. dist. 9. ex. 175.

Vtinam quemadmodum Bruno ita viderent & illi sacerdotes, qui Vdonem in flagitijs imitantur. Ego certè non desistam illos huc adducere, sanguinemque istum illis ob oculos ponere, vt à scelerate viuendo deterreantur. Ne dicant, Iudicium longè abesse, eâ ipsâ fortasse nocte fiet, qua sacrilegis voluptatibus immersi, à latere meretricis abripientur. Non alligatus est consuetudini Deus, potest furor illius ita exardescere, vt mortuorum Iudicium in viuentes quoq; incipiat exercere. Extra ordinem iudicat, si viuos tamquam mortuos iudicat. Quid mirum; si & illi extra ordinem peccant? Quemadmodum & Beda exemplum narrat, de duobus, qui in desperatione summa idcirco mortui sunt, quia iam viderant, iudicium suum futurum, sententiamque contra se in diuino tribunali ferendam, si non latam. In his, & similibus exemplis enim dici potest, iudicium, ante mortem, non tam peractum, quàm præostensum fuisse. Quia tamen ipsa mors, desperatioque, est quædam

VII. QVIBVS EXEMPLVM VDONIS ANTE OCVLOS HABENDVM?

Beda l. 5. hist. c. 14. & 15.

dam diuinæ sententiæ executio, censeri eiusmodi visa ac mortes possunt *Iudicia* quædam Dei *inchoata.* Hinc quidam se damnatos priùs, quàm obeant, vociferantur; vt enim accingendus pro accincto; ita mox damnandus, quia nec in vltimo vitæ articulo, vult resipiscere, habetur pro damnato. Damnatorum est desperare; desperatorum damnari. Desperatio ergo, est quædam inchoata damnatio. Certè si Iudicium hoc nihil est aliud, quàm, ex parte Dei, sententia salutis æternæ consequendæ, aut damnationis: ex parte hominis, eiusdem sententiæ cognitio; potest, & solet Deus multos iam Acheronti addicere, quos in flagranti delicto impœnitentes è medio tollit. Solet subinde etiam illis ipsis eamdē sententiam, ante mortem manifestare; licet longè statim à morte clariùs eamdem accipiant.

Vnde illud *inchoatum Iudicium* voco, hoc *Absolutum.*

CAPVT

CAPVT V.

Iudicium priuatum ordinariè in ipso Mortis momento, & nec antè neque pòst peragi.

I. In ipso mortis instante ordinariè homines iudicari.

HÆc quæ dixi, extra ordinem fiunt. Alioquin, sicut iudicia Israelitarum, non extra vrbem, neque intra eam, sed in ipsa porta fieri solebant, sic etiam plurimùm hoc *particulare Iudicium* Deus, non diu differt, sed statim peragit à morte, seu in ipso instanti, quo anima corpus deserit, sine vlla aut præuentione, aut dilatione. Illo vno eodemque momento vniuersum hoc iudicium inuisibiliter perficitur. Nam in illo instituitur accusatio, in illo vibratur terribilis sententia; in illo executioni mandatur. Disertè hoc tradit D. Thomas, vbi hæc verba ponit: *Anima separata à corpore habet statum immutabilem, & accipit suum iudicium.* Id ipsum docuerat D. Chrysost. scribens: *Præsens hæc vita, rectè viuendi occasionem & opportunitatē habet; postquam verò diem tuum obieris, iudicium & pœna consequitur.* Et alibi. *Sicut illi qui è carceribus educuntur, vnà cum ipsis catenis ad iudicium pertrahuntur: sic omnes animæ, cùm hinc emigra-*

p. 3. q. 59. art. 5.

Hom. 37. in cap. 11. Matth.

Homil. 14. in cap. 4. Matth.

emigrauerint, varijs peccatorum catenis implicita, ad terribile illud ducentur tribunal. Quòd autem ordinariè antè non fiat hoc Iudicium, quàm homo moriatur, ratio est, quia secundùm consuetam Dei legem; teste D. Leone, tempus ad pœnitentiam vtile, vsq; ad extremum spiritum durat. Quàm diu homo viuit, est in via; semper adhuc potest ad Deum reuerti; semper potest aliquid agere quod vel pœnam, vel veniam, vel coronam mereatur. Quàm diu spirat, potest suspirare: & vnico suspirio misericordem Deum flectere. Spes cum vita demum abscinditur. Pœnitentiæ locus est, dum anima in corpore est, Vltimo adhuc instante, potest Deum sibi conciliare. Ante hunc terminum, stata lege, Diuinus Iudex, sententiam non pronuntiat. Vsque adeò patiens est, vsque adeò longanimis in pœnitentiâ peccatoris expectandâ. Quid quòd etiam iustis sua merces nondum soleat conferri; cùm adhuc multa accedere possint, ad cumulum meritorum? *Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est*, vt inquit D. Ambrosius. Cui assonant alij. *Ceterùm*, inquit S. Marcus Eremita, *hoc etiam scire debemus, non ab vnaquaque*

Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 4.

D. Ambr. l. de bono mortis cap. 9.

S. Marcus Eremita tractat. de Baptism.

que

que nostrûm conuersione statim nos probos, aut improbos judicari: sed cùm in tota vita quam agimus in carne, per insultationes probati fuerimus, modò vincentes, modò superati: modò cadentes, nunc excitati: modò errantes; nunc ad rectam viam deducti: tum in die exitus, omnibus computatis, iuxta proportionem, judicabimur. Quid enim iuuat surrexisse, si rursus labimur? multi millies surrexerunt, sed rursus millies ceciderunt. Si in sordibus iacentem mors inuenit, Deus iacentem damnat: quemadmodum & ad dexteram suam vocat, quem reperit tunc stantem, quamuis millies antè lapsum. Itaque qui stat, videat, ne tunc cadat; & qui cecidit, videat, vt vel tunc surgat. Quamuis periculosum est, tunc demum velle surgere, quando vires omnes defecerunt; extendit quidem manum suam Deus, vt deficientem erigat; sed meritò etiam eam retrahit, si toties contemnatur. Nec tamen semper retrahit, sed sæpius etiam animam iam in limine stantẽ gratia sua roborat, vt resipiscat.

II. ANTE MORTEM ESSE TEMPUS RESIPISCENDI.

Hæc communis Patrum Theologorumque doctrina, mirabili quadam visione confirmatur, quæ legitur, inter S. Birgittæ Reuelationes. Ibi refertur, vigilanti cuipiam oranti-

Lib. 4. Reuelat. S. Birgittæ. cap. 7. Recenset hanc historiã adhuc diductiùs Germanicè F. Ioannes Buddius Dulmaniensis, ord. S. Birgittæ part. 1. de Purgatorio. c. 7.

orantique personæ obiectum esse immensæ magnitudinis palatium, in quo innumerabiles essent incolæ, candidis splendidisque vestibus effulgentes, quorum cuique sua sella parata stabat. Sed inprimis eminebat, in medio omnium sellarum, Tribunal inauditæ maiestatis, in quo Sol ipse videbatur quodammodo radiorum suorum sedem posuisse. Radiosus enim fulgor, qui ex hoc tribunali vndique diffusus exsplendebat, sursum deorsumque, longè latéque per immensa spatia, extendebatur. Lateri tribunalis astitit pulcherrima Virgo, cultu regio, coronaque insigni conspicua. Omnes, qui circumsecus tribunal stipabant, Soli in throno assidenti, stellarum instar lucentes seruiebant, hymnosque laudum diuinarum suauissimè concinebant. Ad hunc cælestem consessum, intrauit diri vultus Æthiops, inuidiâ iraque totus æstuans, atque in hunc modum impatienter exclamans: *O iuste judex, hanc tu mihi animam judica, eiusq; peccata audi, quando jam parum de vita illius restat, mox è corpore exturbanda. Da, ô Iudex, vt mihi liceat vnà & corpus, & animam, donec dissoluantur, discruciare.* Hæc Maurus dixerat. Mox è diuersa parte consurgens quidam

dam velut armis decorus eques, modestissimo vultu, mitissimaque oratione respondit: *O Iudex, ecce omnia opera bona, vsque in hanc horam gesta ab homine isto moriente.* Erat autem exiguus numerus istorum; & scelerum ingens multitudo. Extemplò igitur vox à Sole in solio sedente prodijt ista: *Hîc flagitia virtutibus sunt grauiora. Iustitia non patitur, vitiosam hanc animam cum amatoribus virtutum sociari.* Excipit hæc Æthiops, & *Idcirco,* inquit, *iustitia illam mihi addicit, vt mala malo societur.* Cui hæc visa obijciebantur, suspensissimo animo expectabat, quorsum res tanti discriminis euasura esset; cùm mox Eques ille (qui vtique bonus animæ Genius erat) rursum ita clientis sui caussam agere perrexit: *Diuina misericordiæ terminus, vsq; ad mortem, nullus est. Sequitur illa hominem vsq; ad vltimum vitæ punctum. Post hoc, judicium est. In hoc homine, de cuius salute agitur, nulla adhuc facta est anima corporisq; separatio: adhuc spirat; adhuc sentit, adhuc omnia intelligit. Adhuc potest vitam malè actã retractare, & vnico virtutis actu, omnem flagitiorum grauitatem emendare.* Ad hæc nihil habuit dicere infernus Sophista, sed illud intulit: *omnia animæ istius opera, ex timore*

facta sunt, quæ fieri ex amore Dei super omnia amandi debuissent. Atqui & credidit, inquiebat Eques, *& sperauit, veram se, ante, quàm decederet, contritionẽ consecuturam.* O quanta est Orci inuidia! super hæc omnia dixit Maurus, Angelos de cælo, ob vnicam superbiam, diuinæ justitiæ sententiâ deiectos; ipsam Dei Matrem, qua Deo charius nihil est, si peccasset, atque sine pœnitentia mortua fuisset, æternùm damnandam fuisse, atque ad Cacodæmonum tormenta ablegandam. Hæc eadem horrifico clamore vociferabantur totæ damnatorum spirituum phalanges, quæ instar stricturarum, aut ignearum scintillarum, inter se se volitabant; postulabantq; sibi animam illam sociam dari ad cruciatus sempiternos. Sed tubæ clangor, & vox secuta, quæ omnes Angelos, animas, dæmonesq; iubebat silere, atq; attendere ijs, quæ Dei Mater erat locutura, attonitum silentium repentè fecit. TumDei magna Mater pallio vtrimque velut super magna mysteria expanso, sic fari cœpit: *O hostes, ô diri hostes, vos Misericordiam odistis, & Iustitiam sine amore amatis. Anima hæc sanè bonis operibus nunc defecta, cælum non est promerita: sed videte, quid sub pallio meo*

lio meo abſcondatur. Cum dicto enim pallium vtrimque diduxit, atq; ſub vna quidem parte templum quoddam oſtendit, in quo Religioſi in genua fuſi ac ſupplices cernebantur; ſub altera monſtrauit vtriuſq; ſexus homines, viros ſcil. ac mulieres, atque alios pietatem colentes; qui omnes vnanimi voce clamitabant: *Miſerere, ô miſericors Deus.* Audita hac voce, omnia conſiluerunt. Silentio facto, Deipara cœpit, in hunc modum, pro anima perorare. *Si ſidem habens, ſicut granum ſinapis, montes ipſos poteſt de loco in locum transferre; quid fideliū iſtorū Deum tam ardenter amantium vox nō eualebit facere? an non poterunt animam hominis iſtius eripere, ex iſtius accuſatoris poteſtate, tot oratores, ab illo inuocati, vt ab ignibus Tartareis liberetur, cæloq́ue potiatur? An non tot ſanctorum lachrymæ, in terris, preceſq́ue ei poterunt impetrare, vt antè, quàm vita defungatur, fungatur officio boni Chriſtiani, pœnitudine ſcelerum ſuorum tactus, & amore Dei inflammatus? Super hæc omnia & ego meas addam preces, preceſq́ue addent omnes Diui cælites, quos ille vmquam eſt veneratus.* Denique hanc coronidem adiecit ſumma illa Patronarum: *Ego vobis, ô maligni ſpiritus nomi-*

ne ac potestate summi Iudicis, impero, vt ea diligenter obseruetis, quæ nunc in diuina iustitia cognoscitis. Tum vnum fuit omnium diabolorum verbum, vnus sermo, vna vociferatio: *Videmus sanè & dolemus, à modica lachrymarum aqua, & exiguo aere suspiriorum in terris, magnã & incensam Dei iram restingui, in cælo autẽ tuis precibus Filium tuum ad peccatores maximos amandos, misericordiamq́; infinitam flecti.* His in vtramq; partẽ agitatis, denuo à Sole vox exsonuit: *Ob meorum amicorum preces, peccator iste, ante suum obitum, pœnitentiam aget, eam tamen, vt tametsi in damnatorum abyssum non sit detrudendus, Purgatorij acerrimas pœnas, in satisfactionis supplementum, non sit euasurus. Quas vbi sustinuerit, purgatus in cælo eam gloriam habebit, quam habent ij, qui in terris fidem & spem, cum minima charitate exercuerunt.* Dixit, & illico dæmones omnes fugauit. Is autem, qui horum omniũ inscius cum morte luctabatur, confessus est, vtique omnia, quæ conscientia dictauit confitenda, eo dolore, qui saltem cum pœnitentiæ sacramento sufficit, cuius vi ex attrito contritus fieri consueuit. Post hæc enim sponsa, cui suprà enarrata omnia ostensa fuerunt, vidit pandi

pandi locum formidabilem, tenebris horrentibus plenum, in cuius medio se conspiciendam dabat fornax Auernali incendio furens; & dæmones animabus intermixtos dirissimè coquens. Supra eam fornacem, anima illa comparebat, de cuius salute tam diu fuerat disceptatum. Pedes fornaci affigebantur. Forma illi erat miserabilis. E fornace flamma emicabat pedes primùm lambens, tum etiam totam animam, supra caput excrescens, inuoluebat. Pori omnes velut sanguine venæ, ita ignibus implebantur. Per aures, follium in morem, insani venti cerebrum quassabant. Oculi adeò introrsum refugêre, vt per occiput exituri viderentur. Os diductum atros fumos egurgitabat. Lingua, fœdum in modum, per nares extracta labiorum tenus dependebat. Dentes non aliter canduerunt, quàm si clauos ferreos ignitosque rictui infixos aspiceres. Brachia ita torta extensaq; fuerant, vt pedibus paria terram tangerent. Ambæ manus pice plenæ suum tormentum strictim gestabant. Cutis, quæ animam videbatur integere, corio aut lineæ vesti erat non dissimilis, humano semine vndiq; conspurcatæ. Quæ vestis, adeò frigida erat, vt

vel intuentes faceret contremiscere. Vndique ex hac pelle diffluebat, tamquam è pestilenti vlcere, tabidum, & putri sanguine permistum pus. Fœtor inde tam horrendus emanabat, vt superaret omnem comparationem. Hoc tam formidandum spectaculum intuens sponsa, audijt animam quinquies, inter lachrymas, quàm potuit contentissimè vociferantem: *væ, væ mihi, 1. Væ mihi, quia Deum, ob immensas suas perfectiones, & mihi collata beneficia, tam parum amaui. 2. Væ mihi, quia justitiam Dei non timui, sicut timenda fuisset. 3. Væ mihi, quia corporis lubricæq; carnis meæ voluptates tantopere amaui. 4. Væ mihi, quia diuitias & superbiam tantopere affectaui. 5. Væ mihi, quia te Ludouicum, & te Ioannam, vmquam oculis meis vidi.* Talia perscribit conspecta S. Birgitta, & conspecta à quadam sponsa Dei, quæ vtique ipsa fuit.

III. TERRIBILIS PRAECEDENTIS HISTORIAE SCOPVS.

Placuit totam hanc visionem recensere, cùm multa contineat lectori profutura. Ego illud ex ea solùm concludo; etsi ad homines commonendos eiuscemodi judicia subinde, ante eius, qui judicandus est, mortem, videantur agi; reipsa tamen verum Dei omnia judicantis judicium antè non absolui,

absolui, cùm tunc ſit adhuc tempus reſipiſcendi. Hoc eſt quod Eques ille, ſeu cuſtos Angelus, hoc quod Dei Virgo Mater calumniantibus diabolis obiecit; adhuc ſcilicet reſipiſcendi tempus eſſe; & ante obitum neminem plenè judicari; quod & Plato vel à Ieremia, vel aliunde edoctus, in Gorgia, affirmans dixit: *Nudi his omnibus ſunt judicandi, ſunt enim judicandi, poſt obitum.* Eouſque homines facere judicanda poſſe, & poſſe reſipiſcere, Angelus, ac Dei Mater docuit in hiſtoria, quam memoraui. In qua clariſſimè dicitur, tempus miſericordiæ cum morte demum terminari; juſtitiæ autem tempus judiciumque poſt mortem, eſſe. Quòd ſi Iudex Chriſtus in ſole ſedens videtur ſententiam ferre, vt moribundus quidem agat pœnitentiam, in Purgatorio tamen ſatisfaciat, magis ea gubernantis, quàm judicantis eſſe cenſenda eſt; aut ad prædictionem potiùs, quàm ad vltimam determinationem pertinet. Mortuus enim demum eam ipſe ſententiam accepit, quam Birgitta jam antea audierat accipiendam.

IV. EIVSDEM HISTORIAE FRVCTVS.

Et verò is qui reſipuit, ob ſanctorum, quos vel modicè coluerat, efficaciſſimas preces, quantum nos animat, ad Sanctos,

ac præcipuè Iudicis ſupremi Matrem, venerandos? Quanta hinc ſpes accedit etiam deſperatiſſimis, vt vel in extremo vitæ articulo reſipiſcant? Habent pauca opera bona? habuit & hæc anima. Habent plurima ſcelera? habuit & hæc anima. Habent fortem aduerſarium? habuit & hæc anima. Vt ergo in ſpem erigantur, cogitent ſe habere & Angelum patrocinantem, & ſanctos deprecatores, & Reginam Angelorum Patronam, & denique Deum infinitè miſericordem. Si non audent ipſam Deiparam compellare, ſeruos eius, ſodales eius compellent. Quòd ſi autem etiam tum, quando ſtant in extrema tegula, in crepidine æternitatis, nondum volunt curare res ſuas; ſciant, animam ſuam, quàm primùm è corpore eſt abitura, eodem mox puncto temporis, intellectu, per illuminationem locutionemúe intellectualem ad audiendam Iudicis ſententiam eleuato, ita cognituram ſe judicari, vt re ipſa experiatur, quid æternùm ſit futura, beatané, an damnata? Quod Iudicis decretum non ſolùm ſtatim, ſed etiam breui tempore, immò in ipſo Mortis momento clariſſimè intelliget. Quam ob cauſſam Chriſtus aduentum ſuum *fulguri* repentino, & furi confert. Vidi-

Ita Abulenſ. in Matth. 24 q. 239. Sotus in 4. diſt. 45. q. 1. art. 3, Franciſc. Suarez. tom. 2. in 3. p diſp. 52. ſect. 2.

Matt. 24.

Vidistis aliquoties reos antè, quàm ad supplicium educantur, sententiam suam è sublimi curia audientes, & facinora, quæ perpetrarunt, publicitus promulgata pallidissimo vultu excipientes? Cogitate, qua trepidatione, totius vitæ malè gesta, perpetuasque pœnas sibi statutas anima excipiat. Hoc instans, hoc punctum, hoc momentum, tamquam omnium bonorum aut malorum æternorum principium, omni tempore ante oculos nobis est circumferendũ. Hoc perpendiculum, hic gnomon, hæc cynosura nobis debet esse. O momentum, à quo pendet æternitas! ô punctum, in quo incipit vel gaudium, vel supplicium numquam desiturũ! Quis tui non semper recordetur! quis tui, sine magno salutis periculo, memoriam deponat! quis tui meminens, non toto corpore cohorrescat! Adeste ô vigilantes Dei serui, & nullum temporis momentum vobis elabi sinite, quando singulis momentis, vitam sempiternam vel adipisci, vel amittere potestis. Vt hoc à morte Iudicium tantò certiùs credamus, ait D. Augustiuus: *Quis aduersus Euangelium, tanta obstinatione mentis obsurduit, vt in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinũ*

V. HOC PARTICVLARIS IVDICII MOMENTVM MEMORI MENTI TENENDVM.

S. Augustin. lib. 2. de Anima cap. 4.

Abrahæ, & in illo diuite, cuius infernus cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat? In Sanctorum Patrum historia huius momenti crebra legitur recordatio: *Dixit Abbas Agathon: Non debet Monachus permittere conscientiæ suæ, vt accuset eum, in quacumque re. Quando autem moriturus erat memoratus Abbas Agatho, tres dies mansit immobilis, apertos oculos tenens. Pulsauerunt autem eum fratres, dicentes: Abba, vbi es? Et ille respondit: in conspectu diuini judicij aßisto. Dicunt ei: Et tu times? Et ille dixit: Interim laboraui virtute, qua potui in custodiendis mandatis Dei; sed homo sum, & nescio, vtrùm placuerint opera mea, coram Deo. Dicunt ei fratres: Et non confidis de operibus tuis, quia secundùm Deum sint? Et dixit senex: Non præsumo, nisi venero ante Deum; aliter enim sunt judicia Dei, aliter hominum. Cùm autem vellent eum adhuc interrogare alium sermonem, dicit eis: Ostendite charitatem, & nolite mecum loqui, quia occupatus sum. Quo dicto statim emisit spiritum cum gaudio. Videbant enim eum colligentem spiritum, quemadmodum si quis salutat amicos suos dilectos. Habuit autē custodiam magnam in omnibus, & dicebat: Quia sine custodia ad nullam virtutem ascendit homo.*

Heribert Rosvveid. in lib. 5 de vitis PP libell. 11. §. 2.

homo. Ad hunc modum se armabat Agathon, & nos quoque armandos esse docebat, si, tamquam boni athletæ, ad diuinum agonothetam vellemus accedere, & velut victores, coronam in iudicio Dei reportare.

CAPVT VI.

Extra ordinem tamen aliquando Iudicium Particulare, etiam post mortem, suspendi ad tempus, multis varijsq́ exemplis ostenditur.

EX dictis manifestum est, Iudicium Arcanum ante mortem non perfici, sed Mortem ipsam esse velut lictorem, qui reos peremptoriè citet; immò etiam ordinariè, post mortem non differri. At Doctor ille Parisiensis primo die se accusatum, judicatum altero, tertio demum damnatum dixit? Videtur itaque Iudicium illius in triduum, post mortem, dilatum, & velut comperendinatum fuisse. Aio, fuisse ne in alterum quidem diem dilatum; sed extraordinaria quadam Dei prouidentia, in nostrum bonum, altero tertioque demum die fuisse planè dilucideque manifestatum. Quę enim caussa differendi fuisset? aut etiam

I. AN PARISIENSIS DOCTOR STATIM POST MORTEM FVERIT IVDICATVS.

nunc esset? Iudex ille perspicacissimus, instar Solis, immò supra mille soles, non eget probatione testium, non deliberatione, non examinatione caussæ, non consultatione. *Ego sum Iudex & testis, dicit Dominus.* Iam ante judicium omnia præscit. In Parisiensi igitur Doctore promulgationē distulit, non damnationem. Hanc sentire statim meruit reus; illa sensim, & per temporis interualla, peracta populum acciuit frequentiorem.

Ierem. 29. 23.

II. IVDICIVM PARTICVLARI, EXTRA ORDINIM ALIQVANDO DIFFERRI.

Quoniam verò diuinæ potentiæ nulli sunt limites, extra ordinem, aliquando Iudicium hoc differtur, quando scilicet animæ in sua corpora remittuntur. Neque enim credibile est, eas iam judicatas è cælestibus gaudijs, quæ sunt sempiterna, ad nostræ vitæ miserias exulatum ablegari. Neque dici potest, illas ex Inferno, vbi *nulla est redemptio*, per non exoratum illum viæ adamantem, gradum posse reuocare, superasque ad auras euadere. Hoc significat sartago illa ferrea, super murum ferreum, quā Dominus iussit Ezechielem ponere inter se, & inter Ierusalem, & obfirmare faciem suam ad eam. Grandis enim & inflexibilis ira Dei, vt interpretatur S. Hieronymus, non

Ezech. 4.

patie-

patietur damnatos recurrere ad intercesſionem Sanctorum. Arcet eos murus, intercipit ſartago. E Purgatorio ſanè nonnullis conceſſum eſt redire, ad pœnitentiam in terris faciendam; ſi in Purgatorio fuerunt, iam fuerunt vtique (ſed ſub conditione) iudicati; quia data eſt illis, cùm adhuc viuerent, optio, vt vel hîc, vel ibi ſatisfacerent: experti ignes Purgantes, hîc; non experti, & morborum cruciatum nimis æſtimantes, ibi ſatisfacere maluerunt. Debet ergo dici, iudicium illorum non abſolutum, ſed condicionatum fuiſſe. Quibuſdam etiam nondum judicatis, oſtenſa tantùm eſt pœnarum illarum immanitas, vt mallent potiùs, in hac vita, quidquid eſt cruciatuũ, quàm Purgatorium, ſuſtinere in altera. Qui autem, ſine vlla labe defuncti, ad vitam reſuſcitati fuerunt, in loco amœno, tantiſper ſuſpenſo Iudicio, attenti ſunt, vt credibile eſt contigiſſe Lazaro reſuſcitato, quem ipſe Chriſtus amicum vocauit dicens: *Lazarus amicus noſter dormit*, nihil, ſine dubio, habuit hic tantus Chriſti amicus, quod purgaretur. Nondum in cælo, in iucundo tamen loco extitiſſe exiſtimem, vti in Paradiſo; aut fortaſſe in Limbo Patrum: aut in Ioan.11.11

alio

alio loco, qui cæleſtem Paradiſum repræſentaret. Aiunt Marcellum, qui in vrbe Tudertina à S. Fortunato Epiſcopo ad vitam reductus, illico dixiſſe: *ô quid feciſti! ô quid feciſti?* Potuit & iſte in Paradiſo fuiſſe, cum Enoch & Elia, vnde vtique ad hanc lachrymarum vallem non libenter rediuit. Quòd ſi Paradiſus non exiſtit ampliùs, facile eſt Deo, in amœno aliquo monte locum ipſo Paradiſo extruere amœniorem. Illorum autem etiam, qui cum peccato lethali defuncti, ad vitam & pœnitentiam redierunt, Iudicium fuiſſe ſuſpenſum, quis dubitet? æternitas damnatorum non poteſt mutari magis, quàm æternitas beatorum. Iudicium ampliari procraſtinarique poteſt, quo quis, aut ſaluatur, aut damnatur, ad æternitatē. Negari nequit, filium viduæ in Naim defunctum, & filiam alterius cuiuſdā, à Chriſto vitæ reſtitutos: quos cùm ſciret reſuſcitandos, diſtulit judicandos. Potuerunt hi fuiſſe innocentes; ſi nocentes fuiſſent, ad tribunal quidem admitti, categorica tamen ſententia damnari non potuiſſent, ne in inferno redemptio eſſe diceretur. *Inter nos & vos*, ait Abraham Epuloni, *chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos,*

S. Greg. lib. 3. dial. cap. 11.

Luc. 7.
Matth. 9.

Luc. 16. 26.

vos, non poßint, neque inde huc transmeare. Seruati sunt ergo isti seu animæ potiùs istorum extra corpora in loco vel læto, vel tristi, prout earum dignitas postulauit.

Sic necesse est dicere eos, qui Traiani Imperatoris animam à D. Gregorio, ne æternis ignibus addiceretur, liberatam affirmant. Aiunt enim cùm aliquando D. Gregorius, cum clero, è basilica Lateranensi, ad S. Petri procederet, illum per forum Traiani transeuntem, inter alia ibi posita egregia heroum simulachra, admiratum esse eam imaginem quæ reddebat Traianum, cùm in procinctu belli Dacici esset, ex equo desilientẽ, & viduæ de occiso filio querenti aures pariter ac iustitiam præbentem. Tum, tam generosi facti intuitu, Gregorium scribunt adeò erga Traianum affectum, vt pro eius anima liberanda Dominũ exorârit. Eum autem exauditum fuisse, (ex horũ narratione) Angelus significauit, monens tamen, ne ampliùs talia præsumeret. Hæc si non fabula potiùs est quàm historia, absolutũ iudicium Dei particulare de anima Traiani, per quingentos annos suspensum docet. Ita enim maximè verosimiliter potest responderi; ne

III. AN IVDICIVM PARTICVLARE IN TRAIANO FVERIT SVSPENSVM? Vide Cardin. Cæs. Baron. tom. 8. Annal. An. 604.

cogamur

cogamur dicere, Inferni leges post categoricam damnationis sententiam, non esse æternas, si animam Traiani dicamus ex Inferno liberatam, aut mitigatis pœnis (vt quidam somniarunt, quasi damnati precibus adiuuarentur) alleuiatam. Quamuis sint etiam, qui velint, Traianum à D. Gregorio ad vitam reuocatum, & baptizatum, rursumque vita functum abijsse in cælum; quod probabilius videri posset, sed cum præcedenti narratione non cohæret, quia, vt aiunt, Gregorius non orauit, vt ad vitã hanc, sed ad cælestem Traianus euocaretur. Alij absurdiùs fingunt, non reuixisse corpus Traiani, sed clanculum animam eius à D. Gregorio baptizatam, egregij non tantùm hominum, sed etiam animarum baptizatores. Rectiùs igitur fabulam vocat Baronius, cùm neque Traiani pietas id beneficium meruerit (quem Dio Cassius & Ælius Spartianus vini & puerorum intemperanter appetentem fuisse scribunt) & Iulianus Augustus, in deorũ conuiuiũ admitti non concesserit, nisi priùs cautum esset Ganymedi, cui ex Traiani aduentu admodum timebatur. Si igitur Abraham pater credentium pro eiusdem criminis reis Sodomitis adhuc viuentibus
no-

non est exauditus, quis putet, Gregorium orasse, & exauditum esse pro eo, qui in tam horrendis peccatis mortuus est? Adde quòd idolorum cultor multa Christianorum millia interfecerit. Quis talem pium iudicet? quis dignum, quem, tanto miraculo, præuisus à Deo Gregorius suspensum tenuerit, per quingentos annos, ne absoluto decreto Dei iudicaretur? Itaque hoc exemplum parum conuincit, Iudicium particulare in Traiano suspensum esse; etsi valde diuturna fuisset suspensio, si quod narratur, verum foret. Et licet nõnulli affirmarint, Traiani cranium cum lingua adhuc viuida repertum, qua ipse suam miseriam deplorans S. Gregorium commouerit ad commiserationem, & ad preces pro ipso ad Deum fundendas; fuit tamen illud inde improbabile, quia lingua in concrematione Traiani videtur in cineres redacta, cranium autem eius, cum ossibus ceteris, intra vrnam auream, vt Dio & Eutropius testantur, translatum est. Interim, quod in Traiano factum non est, in alijs fieri potuit, & nonnumquã reipsa contigit: vt adeò Deus potiùs, contra naturæ leges, animam hominis, in parte recisa, detineat, donec peccata confiteatur, quàm

vt, morte obitâ, Iudicium priuatum differat, animamque teneat suspensam, quamuis etiam hoc possit contingere. Vtriusque sunt exempla.

IV. SVSPENSA MORS, VT IVDICIVM SVSPENDERETVR. Thom. Cantipr. lib. 2. apũ cap. 29. §. 18. & 19.

Nam retentæ, in abscisso capite, animæ, donec confessio peragеretur, miraculum admirandum idoneus author Thomas Cantipratanus his verbis refert: *Magistro Richardo Normanno viro per omnia litterato & narrante cognoui. Sed & in scriptis cuiusdam fratris Ordinis Prædicatorum, in Beluaco, legisse me memini, quemdam in Normanniæ partibus virum flagitiosum valde & impium fuisse, suis temporibus, rapinis & cædibus hominum debachantem. Quem inimici sui in decliui loco montis cuiusdam deprehendentes, amputato capite, peremerunt. Cuius caput abscissum, trunco corporis, in loco manente, in vallem subiacentem deuolutum est, clamans horribiliter per hæc verba: Virgo S. Maria, da veram confessionẽ. Hoc non paucis horis, incessanter capite clamante, vnus inimicorũ pro sacerdote cucurrit in villam. Venit ille, sed appropinquare ausus non est, nisi relatũ caput suo corpori compaginaretur. Quod vbi factum est, aduenit presbyter, sedit, & loquente capite compaginato confessionem illius audiuit. In fine ergo confessionis*

presby-

presbyter inquirit, dicens. Miror in miraculo de te facto, super omne miraculum, quod audiui. Et ille. Causa, inquit, miraculi ista est. Audiui adhuc iuuenis, quòd quicumque quartam feriam, aut sabbatum in honorem gloriosæ Virginis ieiunaret, veram confeßionem, antequam ab hac vita decederet, Matris Christi precib. obtineret. Hoc, vt audiui, in omni scelestißima vita mea dictum ieiunium obseruani, alterius verò boni nihil aliud feci. Quo Sacerdos audito miratus est, & statim, vbi hoc dicentem & confitentem absoluit, spiritum iam defunctus efflauit. Itaq; eousq; anima in capite amputato detenta est, (quod de Traiani cranio ac lingua quidam fingebant) donec confeßio fieret. Iudicium igitur non nisi mediatè suspensum est, cùm mors suspenderetur. Subiungit autem prudenter author sequentia. *Nota, Lector, me non credere, necessariam super hoc esse regulam, & in dictis feriis ieiunantibus efficacē. Quamquā gloriosa Virgo, in isto peccatore tale voluerit miraculum demonstrare, vt sedulos dilectores suos iuuandos à se, & honorandos altiùs comprobaret. Scio tamen & certus sum, quòd in multis dictum ieiunium efficaciam habuerit salutarem; vt in fine vitæ confeßionem veram*

haberent, & arctiùs pœniterent. O felix, & vtile ieiunium! ô morem hoc quoque sæculo reuocandum! immò imitandum; quia apud multos iam vtiliter video esse reuocatum. Si rapinas exercenti, si latroni publico ieiunium tantum potuit afferre emolumenti, quid afferet ijs, qui à grauiorib, flagitijs procul absunt? An non, vt Angelus Tobiæ orationem obtulit operaq; cetera Deo, sic etiam offeret hæc opera Dei Mater? & IESVM Filium suum nobis post hoc exilium ostendet, eiq; nos ab omni inquinamento mundatos offeret? ô quàm gulosos esse oportet, qui die Sabbati non possunt ieiunium sustinere, quo tantam rem licet tantumq; patrociniũ lucrari! Nam etsi infallibilis non sit iste effectus, vt author monet; sperandum tamen est, B. Dei Matrem nõ passuram sine fructu talia sibi opera exhiberi. Est Mater misericordiæ. Imitatur Filium, qui nec haustum aquæ frigidæ, suo nomine datum sinit esse irremuneratum. Etsi ergo nemo debet temeraria spe sibi persuadere, se sine confessione, ex hac vita non discessurum, si semel in hebdomade ad Deiparæ honorem ieiunium tolerarit, quidquid ipse peccet; sperare tamen potest, qui sine

fraude

fraude ieiunium obtulerit, & ſine temeritate. Ex hac ipſa etiam hiſtoria oſtendi poteſt, adeò (ſi ſecundùm ſtatam Dei legem loquamur, & ordinariè) mox à morte, homines iudicari, vt Deus potiùs mortem ipſam, contra naturæ legem, velit, quàm Iudicium mortuis ſubeundum, impedire, ac ſuſpendere; ideò enim hunc non permiſit mori, vt nondum deberet iudicari.

Quamquam non deſint exempla, quæ præter ea, quæ ſuprà ex Euangelio memorauimus, verè defunctos oſtendant, ſuſpenſo vltimato Iudicio, & iniudicatos ad vitam, atq; pœnitentiã rediјſſe. *In prouincia Valeria erat vir quidam vita valde admirabilis*, inquit D. Gregorius, *nomine Seuerus, Eccleſiæ B. Dei Genitricis & ſemper Virginis ſacerdos. Hunc, cùm quidam pater familias ad extremũ veniſſet diem, miſſis concitè nuntiјs, rogauit, vt ad ſe quantocyus poſſet, veniret, ſuiſq; orationibus pro peccatis eius intercederet, vt, acta de malis ſuis pœnitenita, ſolutus culpa de corpore exiret. Qui videlicet ſacerdos inopinatè contigit, vt ad putandã vineam eſſet occupatus, atq; ad ſe venientibus diceret; Antecedite; ecce ego vos ſubſequor. Cumq; videret ſibi in eodem opere, parum aliquid ſupereſſe, paululum moram*

V. Etiam post mortem dilatum iudicium particulare.

S. Gregor. Magn. l. 1. Dialog. cap. 12.

 ram

ram fecit, vt opus, quod minimum restabat, expleret, quo expleto, cœpit ad ægrum pergere. Eunti verò in itinere occurrentes hi, qui priùs venerant, obuiam facti sunt dicentes: Pater quare retardasti? noli fatigari, quia defunctus est. Quo audito ille contremuit, magnisq; vocibus, se interfectorem illius, clamare cœpit. Flens itaq; peruenit ad corpus defuncti, seq; coram lecto illius, cum lachrymis ad terrā dedit. Cumq; jam vehementer fleret, in terram caput tunderet, seq; reum mortis illius clamaret: repentè is, qui defunctus fuerat, animam recepit. Quod cùm multi, qui circumstabant, aspicerent, admirationis vocibus emissis, cœperunt ampliùs flere, præ gaudio. Cumq; eum requirerent, vbi fuerit, vel quomodo rediisset, ait: Tetri valdè erant homines, qui me ducebant, ex quorum ore & naribus ignis exibat, quem tolerare non poteram, cumque per obscura loca me deducerent, subitò pulchra visionis iuuenis, cum aliis nobis euntibus obuiam factus est, qui me trahentibus dixit: Reducite illum, quia Seuerus presbyter plangit. Eius enim lachrymis Dominus eum donauit. Qui scilicet Seuerus protinus de terra surrexit, eiq; pœnitentiam agenti opem suæ intercessionis præbuit. Et dum per dies septem de perpetratis culpis pœnitentiam ageret

redininus

rediuiuus ageret, octaua die lætus de corpore exiuit. Hæc D. Gregorius, quæ vtique de verè mortuo, nondum tamen iudicato memorauit. Vbi ergo anima ista tum fuit? ante diuinum tribunal non fuit; per obscura loca deducta fuit, & quidem à monstrosis ignemque spirantibus paranymphis. Fueritné obscurus ille locus olim limbus Patrum, aut aliæ cauernæ subterraneæ, haud certum est dicere. Certè non conueniebat, animam multis noxijs adhuc inquinatam in Paradisum introire. Magna gratia satis erat, non statim mitti in tenebras exteriores. Liberum fuit diuinæ manui, in quibuscumque tandem locis obscuris eam iniudicatam seruare, vt de his ipsis obscuris locis Seueri virtus illustraretur, cuius precibus anima donabatur; tantò maiore miraculo, quia etiam de strictissimo Iudicij Particularis tempore fuit dispensatum. Nemo tamen eò differat satisfactionem, neque speret, se ad vitam postliminio remittendum, vt pœnitentiam agat. Deus non dispensat quotidie in suis legibus; nec datur multis, vt bis moriantur. Lamachus Centurio cùm à milite castigato audijsset: *Nihil posthac simile se admissurum,* dixit: *In bello, non licet* Plutarch. in Lacon.

bis peccare. Sic hominem in huius vitæ militia, non licet bis mori. Si quid extra hunc ordinem accidit, miraculum eſt, quod non poteſt quiſquam ſperare, ſine temeritate. Quare nemo putet, ſe ſemel malè mortuũ, iterum prodigiosè ad vitam reducendum, vt benè moriatur. Si mors venit, *venit nox, quando nemo poterit operari*, vt Dominus monuit. Vnde & Angelus Domini, in Iudicio iurauit, per viuentem in ſæcula ſæculorum: *Quia tempus non erit amplius.* Iuxta adagium, *Luna radijs, non matureſcit botrus.* Nobis cùm vitæ lux ſemel occidit, *Nox eſt perpetua vna dormienda.* Certè in Inferno tenebræ ſunt exteriores, & adeò perpetua nox. Ibi ergo nulla vota, nulla deſideria matureſcent. Igitur, *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Si quid ſecus fit, ſi quibuſdã datur bis mori, gratia Principis non debet trahi ad conſequentiam. Si qui miraculo bis moritur, non ideò bis moritur, vt alter quoque putet, ſe bis moriturum. Doctè ait S. Damaſcenus, homini peccatori idem eſſe mortem, quod caſum Lucifero: ſicut enim Lucifer & apoſtatæ

Ioan. 9. 4.

Apoc. 10. 7.

Eccleſ. 9. 10.

Angel-

Angeli, post casum ad nullam possunt pœnitentiam surgere, sic peccator, post mortem (nisi Deus peculiari miraculo velit aut sanctos suos honorare, aut incredulos homines incitare ad seriam vitæ morumque emendationem) Lege consueta, semel mortuus, manet vsque ad Extremum Iudicium mortuus ; & semel damnatus, manet æternùm damnatus.

VI. IVDICII HVIVS FORMIDO QVANTAM VIM HABEAT AD POENITENTIAM IN HOMINIBVS EXCITANDAM?

Illud emolumenti nobis è reuiuiscentibus his hominibus offertur, vt discamus Iudicium hoc vtiliter formidare, & pœnitentiam agere, dum licet, hoc est, dum in vita sumus. Non enim tam ad vitam, quàm ad pœnitentiam hi tales plerumque reuocantur. Qui excitatus à Seuero fuerat, *per dies septem de perpetratis culpis pœnitentiam redivivus egit, tum demum, octaua die, latus de corpore exiuit.* Ad hanc pœnitentiæ commendationem, dilatique absoluti Particularis Iudicij demonstrationem, *Non omittam etiam* (verba sunt S. Ioannis Climachi) *solitarij illius, qui in Choreb habitabat, referre historiam. Hic cùm diutiùs negligentißimè vixisset, nullamq; animæ suæ curam penitus haberet, morbo tandem comprehensus ad extrema deductus est. Cumq; jam corpore perfectè mi-*

Ioan Clim. c. 6 gradu 6.

grasset, post vnam horam in seipsum redyt, orauitq́; nos omnes, vt inde protinus abscederemus, & cellæ aditu lapidibus obstructo, permansit intus annis XII. nulli omnino quidquam loquens, nec aliud quidquam præter panem & aquam degustans. Sedens autem ea tantùm, quæ in excessu viderat, attonitus voluebat, atque in his adeò fixo semper erat cogitatu, vt numquam jam vultum immutaret, sed semper sic attonitus perdurans vim lachrymarum feruentium tacitus profunderet. Cùm verò jam morti esset proximus, rupto ac patefacto aditu, ingreßi sumus. Cumq́; ab illo doctrinæ verbum supplices inquireremus, hoc ab illo tantummodo audiuimus. Ignoscite mihi; Nemo, qui reuera mortis memoriam agnouerit, peccare vmquam poterit. Nos verò nimium mirati sumus intuentes eum qui pridie ita negligens fuisset, repentè mutatum ac beatißima transformatione alterum effectū. Illo igitur in proximo cœmiterio sepulto, cùm post dies aliquot sacras illius reliquias requireremus non inuenimus, Domino in hoc quoque nos certiores faciente, solicitæ illius & accuratæ laudabilisq́; pœnitentiæ, atq́; omnibus fiduciam præstante, qui etiam post summam vitæ negligentiam seipsos emendare nôrunt. Quid viderit iste non memoratur; tametsi sententiam Iudicis no

cis non acceperit, judicij tamen existimo vidisse seueritatem, quæ tantam in eo erga seipsum seueritatem potuit excitare.

VII. OB TRIA PECCATA DAMNANDVS, OPE B. VIRGINIS VITAE RESTITVITVR, VT POENITENTIAM AGAT.

Nam alios quosdam morte extinctos, & ad Iudicium jam adductos, non tamen plenè judicatos, sed ad mortales remissos, vt quæ deliquerant, expiarent, itidem apud probati nominis authores legimus. Audi Cantipratanum: *Quid de triplici quinquagena in salutatione versus Angelici, Aue Maria, Anno ab Incarnatione Domini M. CC. LI. contigerit referamus. Vidi, & cognoui iuuenem in Brabantiæ partibus generosum, qui quamuis esset totaliter sæculo deditus, B. tamen Virgini Mariæ deuotus, quotidie tres dictas quinquagenas in salutationibus exsoluebat. Infirmatus autem ad extrema perductus est. Cumq; per horas diei plurimas mortuus iacuisset, reuixit subitò, & sorori moniali, quæ iuxta se sedebat, inclamauit dicens: Soror ecce redij, citò aduocari facias sacerdotem. Mirantibus omnibus presbyter aduocatur, &, in magna cordis lætitia, palam omnibus confitetur dicens: Ad tribunal Christi judicis raptus, cùm in tribus maxime à dæmonibus accusarer, ferriq; deberet sententia contra me, pijssima Christi mater rogauit filium, vt ad corpus reducerer, locum*

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 29 §. 8.

pœnitentiæ ſuſcepturus. Nec mora, factum eſt, vt rogauit. Vnum de peccatis erat, pro quo damnandus eram, quia decimas de bonis & agris meis ſacerdoti ſubtraxeram. Secundum erat, quòd cum ſodalibus meis piſces quorumdam religioſorum furto ſubtraxeram. Tertium erat, quòd ſegetes & fruges pauperũ cum canibus venaticis vagabundus deſtruxeram. Hæc cùm coram omnibus loqueretur, quidam de manſionarijs reſpondit: Et cur, inquit, pro damno iſto extremo damnandus eras, cùm nos omnes illud vobis puro corde remiſerimus? Et ille: Mihi quidem veſtra remiſsio nequaquam ſuffecerat, cùm copioſior eſſem vobis in iniurijs refundendis, quàm vos mihi in iniurijs dimittendis. Et his dictis reſtituenda damna protinus aſsignauit; ſicq́ diſponens rebus & domui, in ſpe & pace mirabili, ſpiritum exhalauit.

VIII. Rosarium B. Mariae quam vtile?

Iacuerat iſte, *per horas diei plurimas mortuus;* fuerat ante tribunal Iudicis; ſententia aliàs in momento fertur, & Iudicium ipſum in oculi ictu peragitur: ſed tunc, etſi *ferri deberet ſententia,* lata tamen non fuit, inchoatum igitur, non abſolutum eſt Iudicium; ſed velut certo conſilio Dei protractum, donec clementiæ Mater ſeſe interponeret. *Nec mora,* quàm primùm pro eo Deipara Filio ſuppli-

ſupplicauit, impetrauit vt ad vitam rediret. Vbi igitur *per horas plurimas mortui* anima fuit? nonnè ante Tribunal? Sed nondum damnata: ſuſpenſum ergo fuit Iudicium, non tantùm quo ad ſententiam, ſed etiam quoad tempus. Sed me in primis aduertit trahitque diuinæ Matris, apud Filium potentia, quæ ſicut Gen. 22. angelus Abrahæ, filium iam iam percuſſuri, gladium cohibuit, ita iuuenem iam iam damnandum, illo tam ſtricto in Iudicio, locoque aliàs inexorabili, liberauit. Quis ei non quotidie roſarium offerat? quis coronam, ſeu quinquagenam triplicem non percurrat ſedulò? ſi tantilla oratio hoc efficit, contra adamantinas illas leges vitæ alterius, quid non efficiet, in hac vita, & hoc tempore gratiæ & miſericordiæ, in ijs qui aliud nihil quærunt, quàm vt Deo concilientur? Sed non debent hanc hiſtoriam inexpenſam præterire, qui decimas decimant, aut iniuſtè ad ſe trahunt; aut Religioſis ſua ſuffurantur; aut, vt venatione ſe oblectent, ſegetibus ſubditorum non parcunt. Nec illis Deus parcet. Non enim ſemper habebunt talem, qualē iſte Aduocatam. Quales illos inueniet, tales iudicabit Iudex, apud quem miracula non præſcribuntur.

Facit

Facit ea, cùm necesse est, nec margaritas suas proijcit ante porcos. Præsumptio supplicium, non prodigium meretur.

IX. DEO AEQVE FACILE EST, DVDVM, QVAM MODO DEFVNCTVM EXCITARE.

Traiani Imperatoris ad vitam reuocati historiam nonnulli etiam eò impugnant argumento, quòd ab eius morte, vsque ad D. Gregorium nimis multum temporis interfluxerit; atque eapropter, corpus illius penitus dissolutum difficiliùs credi possit redijsse ad integritatem. Neque negari sanè potest cadauer recens, organis nondum destructis, naturæ viuentis propinquiùs dispositum esse; vt quando Propheta Eliseus *incubuit super puerum: posuitq; os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. &c.* Verùm hoc argumentum, contra diuinam potentiam non est validum; quæ non minùs corpus in pulueres & vltimos cineres redactum potest restaurare, quàm si illud adhuc à vita & anima paulò priùs amissa caleret. Quid enim fiet in nouissimo die? nonnè homines, etiam qui in diluuio, & ante illud, & qui in Sodomitico incendio, perierunt, atq; vel in lutum, vel in cineres soluti sunt, resurgent? Eliseus quoque diuina vi puerum vitæ

4. Reg. 4. 34.

resti-

restituens, ad illud miraculū non indiguit, vt calorem à corpore suo in frigidum pueri cadauer deriuaret; quòd igitur contracto corpore sese puero applicarit, cælesti instinctu fecit; typus enim fuit, immensi Dei Filij ita in humana natura contrahendi, vt Verbum abbreuiatū nos ad spiririrituale vitam reuocaret. Hominum cogitatio est dicere: *Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim.* Io. 11. 39. Dominus autem, qui verbo virtutis suæ omnia potest; ait: *Nonnè dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?*

X. PRODIGIA HENRICI MORTEM ANTECEDENTIA: ET S. STANISLAI MORTVVS.

Nihil enim obstare mortuorum suscitationi, siue diu, siue paulò antè ex hac vita decesserint, infinita Numinis potentia nos docet; quæ si ex nihilo potest hominem creare, cur non & ex luto? Et sunt complura exempla, quæ id ipsum demonstrent. Anno Christi 935. *multa mortem imperatoris Henrici miracula præcesserunt.* ait Trithemius, *Sol sereno cœlo obscuratur, per fenestras domorum radios immittens sanguineos. Mons, in quo Henricus postea fuit sepultus, flammas in multis locis euomuit. Hominis cuiusdam sinistra manus ferro amputata, post annum ei dormenti ad integrum restituta est, & pro signo miraculi remansit in loco coniunctionis linea subtilis sangui-* Ioan. Trithem. in Chron. Monast. Hirsaug. An. 1935.

nei co-

nei coloris. Qui amputatam manum *post annum* homini restituit, vitam ipsam restituere non potuisset? haud enim diuersi generis est, siue parti, siue toti eamdem animam reddere. Et reddidit, quoties defunctus est à morte excitatus. quorum vnum S. Stanislaus triennio antè mortuũ legitur ad vitã reuocasse. Nam Poloniæ Rex Boleslaus ab eo de libidine reprehensus, *in solemni regni conuentu Stanislaum per calumniam in iudiciũ coram se vocari curat, tamquam pagum occuparet, quem Ecclesiæ suæ nomine coëmerat. Quod cùm neq; tabulis probare posset, & testes veritatem dicere timerent, spondet Episcopus, se Petrum pagi venditorẽ, qui triennio antè obierat, intra dies tres in iudiciũ adducturum. Conditione cum risu accepta, vir Dei toto triduo ieiunijs & orationi incumbit: ipso sponsionis die post oblatum Missæ sacrificium, Petrum è sepulchro surgere jubet, qui statim rediuiuus Episcopum ad regium tribunal euntem sequitur, ibiq; rege, & ceteris stupore attonitis, de agro à se vendito, & pretio ritè sibi ab Episcopo persoluto testimonium dicit, atq; iterum in Domino obdormiuit.*

In Breuiar Rom. 7. Maij.

Quid quòd homini centum iam annis sub terra sepulto legimus vitam & pœnitentiam à Sancto aliquo impetratam?

Vene-

Venerabilis Beda, vbi res à S. Patritio Britonum Episcopo ac prædicatore gestas recenset, hæc inter cetera memoranda, narrat. *Post hac venit S. Patritius per campos regionis, ad locum qui Dicfil appellatur, & sepulchrum magnum miræ magnitudinis immensæq; longitudinis inuenit, in eodem loco: quod cùm vidissent socij ac discipuli, qui erant cum eo, mirabantur nimis, atq; stupebant, metientes in longitudine sepulchrum illius pedes quasi XXX. dixeruntq; ad Beatum Patritium: Non credimus, hominē aliquē huius longitudinis extitisse. Respondit eis sanctus Patricius, dicens, si volueritis, videbitis illum. Et dixerunt: maximè ac libentißimè volumus. Tunc Sanctus Patritius percußit lapidem sepulchri baculo suo, iuxta caput scilicet hominis sepulti: signauitq; sepulchrum signaculo crucis, & dicit: aperi, Domine, sepulchrum viri huius, & statim diuinâ virtute apertum est, & ecce vir magnus surrexit sanus, dixitq; ad B. Patritium; benè sit tibi, ô vir bone & sancte, quòd suscitâsti me, vt vna hora requiescam â laboribus & pœnis meis. Hæc dicens fleuit amarißimè, & dixit: si ambulabo vobiscum? Respondit ei S. Patritius, & dixit, non poteris ambulare nobiscum, quia non possunt homines videre faciem tuam, propter timorem*

XI. CENTVM ANNIS MORTVVS A S. PATRITIO AD VITAM REVOCATVR ET BAPTIZATVR.

Ven. Bedalib. 2. de vit. S. Patritij.

rem tui, sed potiùs crede DEO Celi, & baptismum Domini accipe, & sic reuerteris in locum, vbi sepultus eras: indica tamen priùs nobis, cuius ciuis antea fueris, & dixit: Ego sum macmaic cais maicglais, *quod potest dici*, ego ſum maximus virorum Inſulanorum, *qui fui porcarius Ricrobe regis, & ingulauit me dormientem, femmaic magus, in anno* chorbri nuotfer, *qui est annus centesimus vsq; hodie. His dictis baptizatus est à Beato Patricio, facta confeßione, dictoq; symbolo fidei ac dominica oratione, prædicente sancto Episcopo atq; mergente eum in aquâ profundißimâ, ter in nomine sanctæ Trinitatis, cumque fuisset baptizatus, læto animo intrauit sepulchrum suum, & requieuit in pace.*

XII. E QVIBVS POENIS LIBERATVS SIT ISTE ETHNICVS?

Ingens hoc fuit miraculū; ingens Dei miſericordia, ingens argumentū amoris diuini erga S. Patritium, ad eius vſq; preces, ſententiā decretumq; abſolutū ſuū differentis, per centū annos. Porrò quia gigas ad S. Patritiū dixit: *Bene sit tibi, ô bone vir, & sancte, quòd suscitasti me, vt vna hora requiescam, à laboribus, & pœnis meis;* ſignificat ſe in pœnis fuiſſe. In quibus? Non in Purgatorij pœnis; quia baptizatus non erat, neque à peccato originali mundatus. In quibus ergo? cùm

enim

enim in Inferno nulla sit redemptio, quo modo ab illis pœnis redimi potuit? Potuit sanè è loco Inferni, non autem è statu damnatorum redimi, adeoque non potuit è numero damnatorum, qui per Infernum plerumque intelligitur, liberari. Quod vt clariùs intelligatur, tenendum est, ordinariè quidem defunctos statim absoluto Dei iudicio ac decreto vel cælo asseri, vel purgatorio, vel ipsi etiam Inferno. Et his vltimis nulla est redemtio. Cùm autem Deus multò magis, quàm alij Principes, in ordinaria sua lege possit dispensare, in eiuscemodi animabus, non fert absolutam sententiam, aut decretũ, sed hypotheticum dumtaxat; donec scilicet S. Patritius, aut alius Sanctus pro te oret, Purgatorio, aut etiam pœnis Inferni (non iam æternis, sed ad illud tempus, quo sanctus pro te orabit) te adiudico, inde ad pœnitentiam faciendam liberandũ, quando iste vel ille sanctus pro te orabit. Quin etiam Resurrectionis futurę fides eiuscemodi historijs firmatur: qui enim hunc pastorem, post centum annos, ex vltimis cineribus potuit redintegrare, vtique etiam post mille & plures annos alios, ad vitam resuscitare. Postquam enim aliquid peni-

tus destructum est, nihil refert, quo tempore reficiatur. Perinde igitur est corpus in cineres redactum, siue post multos, siue post paucos annos restaurare. Potentiæ diuinæ tempus nihil addit. Quisquis *abijt iam reuerti debet*, ait Tertullianus.

Tertullia. lib. de testim. animæ. c. 4.

XIII. QVANTA SIT DIVINI IVDICII SEVERITAS, VEL OB SOLVM ORIGINALE PECCATVM?

Seueritas quoque hinc diuini ostenditur tribunalis. Nullum scelus exprimitur, quod admiserit iste gigas; nullo constat eum peccato maculatum præterquàm, quòd fuerit baptismo nondum ablutus. Erat homo vilis; erat porcarius, seu scrofipascus, quod genus hominum à plebe populoque remotum, vt non habet multas peccandi occasiones, ita plerumque vitam in simplicitate transigit, & innocentiâ vitæ; denique dormiens, per iniuriam est interfectus: nec tamen ea morte diuino iudicio est satisfactum; centum annis, ob actualia vtiq; qualiacumque demum peccata, *in laboribus & pœnis fuit*, & nondum id fuit satis; debebant accedere D. Patritij preces; virtusque Baptismi, quæ necessaria erat; quemadmodum & ipsa pœnitentia baptizatis necessaria esse solet, *secunda post naufragium tabula*. Qui ergo tremendum hoc tribunal metuit, seipsum iudicet; sibi sit seuerus, qui Deum vult in

eo

eo iudicio esse clementem; neque negligat remedia sanctorum Sacramentorum, In homine simplici, & quem diuina prouidentia iudicabat S. Patritij precibus reseruandum, inuenit quod centum annorum spatio pœnis afficeret, quid in alijs reperiet, qui in medio degunt iniquitatis, neque tamen vmquam in sinum suum inspiciunt aut conscientiam suam in trutinam mittunt? *Ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ,* ait S. Augustinus, *si timet illud, quòd oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisq; quod per corpus gessit, siue bonum siue malum, constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens: Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animæ, per lachrymas profluat.*

S. Augustin. in 50. hom. lib. homil. 50.

CAPVT VII.

Iudicium Particulare, sententiâ etiam quasi pronuntiatâ, quo modo & cur, non-numquam in ipsa tamen executione suspensum; & decretum Dei absolutum dilatum sit?

I. INDICA PVELLA IAM AD INFEROS DVCTA PRECIBVS S. FRANCISCI REDVCTA.

MVltus sum in exemplis, sed non possum tamen etiam aliud omittere, quia video & exempla multùm apud homines valere. Est autem illud quo non solùm ostenditur, S. Cæsarium, tum alios Sanctos, tum maximè etiam cæli Imperatricem, extra ordinem, Iudicium Particulare sistere posse, ne peragatur; sed etiam, sententiâ ipsâ hypotheticè jam in reum vibratâ (conditionatè scilicet, aut per visionem, in exemplum nostrum, exhibitam, cùm categorica & vltima Iudicis huius sententia sit immutabilis, & planè inexorabilis) comperendinationem subinde impetrare, pœnasque æternas, in temporaneam pœnitentiam commutare. Tanti Deus facit, fierique vult Sanctos suos, vt quodammodo seposita vel limitata sua sententia, sententiam illorum sequatur, iuxta illud:

illud: *Voluntatem timentium se faciet.* Histo- Psal. 144. 19.
riam, præter plures alias, in vita S. Anno-
nis Archiepiscopi Coloniensis, legimus, de
qua infrà. Hîc apponendum est ingens mi-
raculum S. Francisci Xauerij, cuius viri
mentionem nulla festinatio transgredi de-
bet. Ita enim de eo memorat Horatius Tur-
sellinus: *Mira subinde res & Christi gregem* Horat. Tursellin. lib. 4. vit. S. Franc. Xauerij cap. 3.
auxit Cangoximæ, & Francisci nomen illustrius
fecit. Cangoximanus ciuis erat, honestus ac di-
ues, sed a Christiana religione alienus. Huic dul-
cißimam filiolam immatura mors subitò abstu-
lerat. Itaque dolore amens multa indigna faci-
ebat, dicebátq́; Conueniunt ad eum inter alios
neophyti aliquot cognati amiciq́; solandi gratiâ,
& funeris celebrandi. Qui acerbißimo neces-
sarij sui gemitu eiulatuq́; moti, cum hortantur,
vt Franciscum Xauerium, virum ex alio orbe,
quàm primùm adeat. Eius auxilium implo-
rans: Illum vtiq; vitam extinctæ puellæ reddi-
turum. Haud ægrè ei persuasum. Ergo mœstus
pater desiderio filiæ stimulante, ad Xauerium
accurrit: lacrymans rem exponit: suppliciter
orat suæ vt orbitati ac solitudini consultum ve-
lit. Hîc Franciscus vicem illius miseratus, sta-
tim cum Ioanne Fernando, socio & comite suo,
recipit se ad orandum Deum. Exinde gaudio

alacer surgit, hominemq́ bono animo esse iussum dimittit, filiam eius viuam esse confirmans. Mouit ea vox iram barbaro, qui modò filiam haud dubiè exanimem reliquisset. Quocirca seu quòd ipse mendacij quodammodo argui, seu quòd Franciscus ab eius tecto abhorrere videretur, indignabundus recessit. Domum repetenti domesticus puer occurrit, puellam viuere ac valere nuntians. Itaq́ paterfamilias, repentè mœrore in gaudium verso, domum properat, reducem ab inferis filiam videre festinans. Quam vt conspexit, suis vix oculis credere: manantibusq́ gaudio lacrymis, scitari ex ipsa, quî tandem redisset ad vitam. Respondet illa, sibi vitâ functæ teterrimos satellites prestò fuisse, qui protinus correptam deturbatum irent ad horrenda ignibus loca: Ceterùm repentè duos egregios adfuisse viros, quorum beneficio ex satellitum manibus erepta extiterit à mortuis. Ad hæc parumper hæsit pater, stupore attonitus. Inde Xauerij profectò id esse beneficium sentiens, puellam ad eum ducit, grates acturus. At illa Franciscum comitemq́ eius intuita, primò obstupuit, mox ad patrem conuersa succlamat: En pater hi ipsi sunt, qui me ab inferis excitârunt. Tum ille cum filiâ ad Xauerij genua prouoluti, obortis lacrymis grates ei agere cœperunt. Qui protinus

manus

manu alleuatos Christo Dei filio, humanæ salutis vindici, gratiam habere iubet. Nec frustra tantum miraculum fuit. Vita vni puellæ reddita, compluribus salutem peperit animorum. Quippe pater & filia, cæteriq́; domestici ad Christum aggregati. Et hoc auxilio alij ad implorandam Xauerij opem, Christiq́; fidem expetendam accensi. Inter quos leprosus fuit, honesto loco natus. Hic certum hominem ad Franciscum allegauerat, rogans vt ad se curandum accederet. Et ille legatione benignè auditâ, occupationes excusans, eò vnum ex comitibus suis miserat, monitum quid facto opus esset. Is igitur ægrum, ex Francisci præscripto salutatum, ter interrogat, num fieri velit Christianus? annuentem, manu in Crucis morem ductâ signat. Mira dictu res: subitò Crux lepram abstersit. Quocirca ille Christianis præceptis imbuitur, ac deinde baptismo lustratur. Hæc in Cangoximana ciuitatis oculis gesta, cùm alij, tum Vincentius Pereira Lusitanus Nauarchus in India Francisci socijs enarrauit, grauis quamuis magnæ rei auctor, idemq́; Xauerij, vt proditur, familiaris. Testatissima igitur res est. Neq; sententiam æternæ damnationis, sub tacita tamen conditione, fuisse pronuntiatam, ambigi potest; cùm teterrimi satellites præ-

ſto fuerint, qui puellam *protinus correptam deturbatum irent, ad horrenda ignibus loca.* Quod ideò factum, vt & beneficium exhibitum maius, & miraculum luculentius foret. Eo enim & Chriſtus, & Chriſtiana religio, & Xauerius illuſtrabantur; & puella ad baptiſmum ſuſcipiendum promptior fiebat, poſtquam videbat, quanto periculo eſſet liberata.

II. ALIVS S. IVLIANI MARTYRIS PRECIBVS, MALIS DAEMONIBVS EREPTVS, ET VITAE REDDITVS. Metaphr. 9. Ianuar.

Conſimile quiddam legimus in vita & geſtis SS. Iuliani & Baſiliſſæ Virginum & Martyrum, atque ſociorum, quod quia ad argumenti noſtri ſcopum rectà tendit, meritò inſerendum eſt. Iulianus, poſtquam captus magna experimenta virtutis dedit, Marciano præſide, in publico foro, ſedente, è cuſtodia cum ſocijs productus, ac denuò interrogatus, an non ſententiam mutauiſſet? reſpondit, ſibi ac ſocijs eamdem mentem eſſe, & vſque ad extremum ſpiritum fore; quidquid liberet proinde, tormentorum expediret. *Cùm iſta dicerentur, ecce corpus ferebatur exanime per plateam, ſepulturæ mancipandum. Tunc Martianus præſes cæco corde iubet corpus reduci. Cumq; hoc factum fuiſſet, iubet illud in medio foro deponi. Omnes ergo hæc videntes, vehementer obſtupeſcunt. Et ait*

uit ad Sanctum Iulianum : Magister vester Christus dicitur, antequam crucifigeretur, mortuos suscitâsse. Hîc iam patebit, si verè Deus est, si vos, sicut & Magister vester, mortuum suscitaueritis. Sanctus Iulianus dixit : *Quid prodest cæco, quòd hic sol oritur?* Martianus dixit : *Hîc nunc parce fabulis, & si aliquid præuales, aut Deus tuus, sicut superiùs dixi, hunc mortuum suscita.* Beatus Iulianus dixit : *Licet hoc infidelitas vestra non mereatur à Domino, tamen quia tempus est, vt virtus eius manifestetur, & ne hoc impossibile putetis, fidele habeo promissum Domini mei, credens quidquid eum petiero, non me fraudatum iri.* Tunc verò Iuliano oculorum intentionem in cælum defigente, ferè vnius horæ spatio, subitò immutata est facies eius, & facta est vt nix: & his verbis coram omni populo, audientibus cunctis, fudit orationem ad Dominum, dicens: *Domine IESV Christe, qui es verus Filius Dei, qui in principio de patre natus es sine tempore, & in nouissimo mundi carnem de Virgine sumpsisti sine semine, adspice in hâc horâ de summitate cælorum ad confusionem inimicorum tuorum, & ad corroborandam fidem credentium in te hæc, quæ operatus es in terris: exaudi nunc de cælis, & suscita hunc mortuum, vt mortui non mori-*

antur, sed mortui reuiuiscant. Et hæc dicens ait ad corpus: Tibi dico, terra arida, in ipsius nomine, qui quarto die Lazarum suscitauit, surge, & sta super pedes tuos. His dictis, surrexit, qui erat mortuus, & voce magnâ clamabat: O acceptabilis oratio, ô immaculata Virginitas, quanta meretur? Quò enim ego ducebar, & vnde reductus sum? Tunc Martianus eacatus à diabolo, irridendo dicebat: Vnde redisti? Tunc ille, qui fuerat mortuus, dixit ad præsidem: Permitte me ordine persequi. Martianus iterum ridens, dixit: Prosequere. Ad hæc ille, qui fuerat mortuus, dixit: Ducebar à nescio quibus Æthiopibus, quorum statura erat vt gigantum, aspectus horrendus, oculi vt fornax ignis, dentes, vt leonum, brachia, vt trabes, vngulæ vt aquilæ: in quibus nulla misericordia erat. Hi me latantes ducebant in infernum, & jam propè ad os putei cùm essem, hoc expectabatur, vt caro mea redderetur terræ, ex quâ sumpta est. At vbi tu Præses corpus meum fecisti reuocari, & Beatus Iulianus orationem fudit ad Dominum cælorum, infernus omnis conturbatus est, & audita vox de throno Dei, dicens: Propter dilectum meum Iulianum reducatur anima. In nullo enim eum volo contristare, in quo sic Pater, & ego, & Spiritus sanctus

ctus lætamur. Post hanc vocem venerunt viri duo albis induti, & auferentes me de damnatione impiorum, huic luci reddiderunt, vt per eum, qui me suscitauit, cognoscam eum post mortem, quem antè viuus negabam. Hæc audiens Præses turbatus est, &, ne dissensio fieret, inter tantas multitudines, iubet eum cum Sanctis in custodiam retrudi, & claustra annulo suo signari. Quem Beatus Iulianus fecit baptismi gratiam consequi: atque ita cum illis cœpit Martyrij agonem subire. Hæc in vita S. Iuliani admirandi martyris, æquè in cruciatibus imperterriti, atque in coniugio illibati, leguntur. De S. quoque Hilario S. Antoninus hæc refert: *Redeunti Pictauos obuiauit quædam mulier flens filium suum sine baptismo defunctum. Cuius precibus & lachrymis motus S. Hilarius eum suscitauit.* Quemadmodum & Christus fecit, quando ad portas ciuitatis Naim filium viduæ iussit ad vitam redire: vtique tunc nondum in cælum ingressum, nec absoluto decreto æternis Inferni pœnis adiudicatum, aut etiam Purgatorio, vel limbo Patrum, sine conditione additum.

S. Antonin. p. 2. tit. 10. c. 3.

III. CONDITIONATE NON ABS

Ostendere voluit in eiusçemodi exemplis Deus, quantùm apud supremum illud tribunal valeat patrocinium Sanctorum, quod

diuinæ

SOLVTI IVDICATOS REDVCI AD VITAM.

diuinæ iam sententiæ quomodocumque latæ manum quodammodo potest inijcere; vt executioni non mandetur. Mandaretur autem vtique, si Deus ita absolutè voluisset, qui eam sententiā cum conditione, ita pronuntiauit, vt ostenderet, quid defunctus meruisset, si non habuisset patronos præuisos, quàm vt eum Acherontici satellites reipsa in æternos Tartari carceres præcipitarent. Quemadmodum igitur apud nos sæpè in reum fertur sententia; sæpe iam educitur ad supplicium; sæpe iam in ipso loco constitutus pœnæ, à laqueo, aut gladio liberatur, patrocinio Magnatis: ita apud Deum Dei amici aliquando liberant reum iam iam ad ipsas Inferni flammas trahendum. Quod contigit ei, de quo diximus, non in proprium exitium, sed in nostrū dumtaxat exemplum iudicato. Absolutè iudicatos *in ignem æternum* iubet Deus discedere, qui æternus non esset, si inde homines exire atque in vitam redire permitterentur. Quare neque Sanctus pro eis vllus orat. Siquidem, vt D. Augustinus serm. 23. de verbis Domini ait, *post iudicium, non patet precum locus.* Non audiunt hos Sancti, de patronis in Iudices conuersi. Non audit Deus, sicut Abraham

non

non exaudijt epulonem, cui dixit, *chaos magnũ* esse inter se & illum firmatum. Hinc Thren. 3. iudex verè sic à damnatis compellatur: *Inexorabilis es: opposuisti nubem, ne transeat oratio.* Orant ergo Sancti non pro illis, qui absolutè sunt condemnati, sed pro ijs, pro quibus Deus sciuit orandum, ac proinde non, nisi sub conditione, donec pro eis oretur, damnationis sententia ad nostrum exemplum bonumque percellit. Non ergo incidamus in errorem Origenis, quem S. Augustinus refellit, vt putemus damnatis aliquam spem superesse. Fabulæ canunt, Theseum ab Hercule ex Inferis liberatum; Eurydicen autem Orpheus non reduxit, sed cùm respexit, secundò amisit. Non sic verus Deus homines *deducit ad inferos, & reducit:* sed visione illos terret, nos docet: aut etiam in eas quosdam huius vitæ angustias sinit peruenire, vt sibi ad inferos deducti videantur, vnde eos reducit. Denique ille, si vult, damnandos potest, damnatos numquam solet liberare. Hoc discamus, non pœnitentiam differre, sed Sanctos colere. Illi de quo diximus, profuit Sanctorum cultus, nobis exemplum illius.

Atq; ita habemus Iudicium quintuplex, IV.

Iudicium

EXTRAORDINARIE DIFFERRI, NVMQVAM PENITVS TOLLI IVDICIVM DEI.

Iudicium tentationis, seu à diabolo ad nos seducendos intentatum; *Iudicium comminationis, ad nos corrigendos, Iudicium in hac vita in aliorum monitionem inchoatum*; *Iudicium, etiam post mortem, dilatum*, aut suspensum; & *Iudicium Particulare* ordinarium, quod, in ipso statim primo mortis instanti, solet institui; neque potest ab vllo mortalium, lege ordinaria, declinari. Differri potest, suspendi potest, ampliari potest, tolli non potest. Qui hodie differtur, cras iudicatur. Certum est, infallibile est. *Omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, pro vt gessit, siue bonum, siue malum:* dummodo tempestiuè gerat, & illuc non differat. Nam quemadmodum Israëlitæ sex diebus manna colligere debebant, in septimo, hoc est, in Sabbato ampliùs non reperiebant; & qui antè non collegerant, postea esuriebant; ita diuinæ gloriæ dulcedinem, & cœnæ Agni manna, qui in hac vita sibi non meretur, frustra postea, cum mortuus fuerit, desiderabit. Pigri isti procrastinatores circuibunt, *& famem patientur vt canes*. Hoc est quod dicitur. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit igitur æstate, & non dabitur illi.*

2 Cor. 5. 10.

Psal 58. 7.

Prouerb. 20. 4.

Extra

Extat in antiquo codice parabola de Alexandro Magno, qui cereum dicitur accendisse aliquando, vt quotquot hostes, aut inimici, qui eum læserant, eo adhuc ardente, veniam peterent, eam consequerentur: lucerna autẽ consumpta, nullius aut gratiæ, aut veniæ erat locus. Deus lucernam accendit homini, vitam scilicet istam. Quàm diu homo lucis istius vsurã habet, tam diu est locus pœnitẽtiæ salutaris. Extinctâ vitâ, sera est omnis pœnitentia. Quot quot igitur sapuerunt, lucernâ adhuc lucente, conuolarunt ad flectendum Alexandrum; stultissimos fuisse necesse est, qui ludendo tempus & cereum comburi frustra passi, tum demum venerunt ad Alexandrum, cùm non iam gratiæ, sed iræ vindictæq; fuit tempus. Longè vtique amentiores sunt, qui vitæ finem expectant, vt tum demum ad misericordiam Dei confugiant, cùm sub Iustitiæ illius manu tenentur. Præsens hominis vita, est via, qua ad Cælum itur, vel ad Orcum. Vitæ terminus, est termin⁹ viæ; qui desinit viuere, desinit ambulare. Sicut enim Angelis primũ creationis suæ instans, aut certè alterũ, est à Conditore ad merendũ concessum, & pro via fuit; ita tota vita homini data est,

V. POENITENTIAM ANTE IVDICIVM AGENDAM, DOCETVR PARABOLA ALEXANDRI.

vt

vt per eam eat ad ſuam felicitatem. Angeli quàm primũ ceſſarunt eſſe boni, cœperunt eſſe damnati; vti boni mox beatitudinem ſuam inchoarunt, vbi illam meruerunt. Ita breuiſſima illis fuit via. Homini, non ita perſpicaci, longior via aſſignata eſt, tam longa nempe, quàm longa eſt vita. Cum vita, via terminatur. *Finiſti vitam, finiſti viam*, ait S. Auguſtinus. Hac via vt bene vtamur, monens Apoſtolus inquit: *Sic currite, vt comprehendatis*. Quo pacto curſores coronam comprehendunt? Si per ſtadium ſtrenuè decurrant, non ſi ibi demum velint curſum incipere, vbi fuit finiendus. Hinc certa illis meta figitur quæ ſit terminus currendi. Quamuis igitur illi, qui in ſtadio ſegnes fuêre, & longè ab alijs relicti, brauîum neglexêre, cuperent vlteriùs currere, maioremque d[illegible]nceps adhibere conatum, non admitterentur tamen ampliùs. Iam in meta ſunt, iam de eorum curſu fertur iudicium: antè currere, antè omnes neruos contendere oportuiſſet. Serò pœnitet, malè cucurriſſe. Itaque *ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.*

S. Auguſtin. hom. 22. in lib. 80. hom.

1. Cor. 9. 24.

Io. 12. 35.

VI. Extra-ordina

Quando igitur talia exempla audiuntur, in quibus nonnulli, non modò defuncti, ſed

etiam

etiam in speciem iam iudicati, enimuerò etiam Inferis addicti, & à Tartareis tortoribus duci iussi memorantur; ac postea rursus ad vitam atque pœnitentiam reducti; non eò trahenda sunt, quasi & nos possimus eamdem in ipso Iudicio gratiam sperare, etiamsi sine pœnitentia hinc è vita discedamus. Hoc esset exemplis abuti; immò in contrarium vti, atque eorum, qui peponem cordis loco habent. Ostendit enim diuina bonitas subinde talia, vt discamus Iudicia eius formidare, & tantò impensiùs pœnitentiæ incumbamus exercendæ. Multùm valent oculati testes. Idcirco igitur Iudicij diuini exhibentur visiones, vt, qui non mouentur ab ijs, qui auditu, atque fidei prædicatione talia acceperunt, moueantur ab illis, qui seuerissimo viuendi, pœnitentiamque agendi genere testantur, se expertos, quanta sit in illo tribunali seueritas. Cùm damnatus ille epulo rogaret Abrahamum, vt mitteret Lazarum in domum patris sui, ad quinq; fratres, testatum, *ne & ipsi venirent in hunc locum tormentorum*, dixit illi Abraham: *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos*, dixit epulo: *Non pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Tanti fe-

RIA HAEC DEI IVDICIA NON AD PRAESVMPTIONEM TRAHENDA.

Luc. 16. 27.

cit teſtimonium mortuorum, fieriq́ue cenſuit damnatus epulo. Quod ille tunc non impetrauit, Deus facit, quando futuri ſæculi ſeueritatem hominibus patefacit, per mortuos reſuſcitatos. Neque ſine grandi fructu talia prodigia Mundo oſtenduntur. Plurimi enim plerumque, non ſolùm, qui coram ea vident, conuerti ſolent, ſed etiam qui aut legunt ipſi, aut ea audiunt, per conciones commemorari, diſcunt inde plagæ occurrere; ne Aphya in ignem, quod dicitur, incurrat; & anima immortalis in mortem æternam ruat. Quemadmodum autem ex Inferno redeuntes magnum terrorem inijciunt nobis, ne diſcrimini nos tanto obijciamus; ita è cælo venientes, neq; in hac mortali vita permanere volentes, oſtendunt, vtra vita ſit à nobis præoptanda. D. Antoninum audi: *Nec multo pòſt interpoſito tempore nuntiatur præfatos hæreticos Pelagianos in Britannijs iterum pullulaſſe, rurſumq́ ad S. Germanum preces omnium deferuntur, vt cauſſam Dei, quam priùs obtinuerat, tueretur. Adiuncto itaque ſibi S. Seuero Treuirenſi Epiſcopo libenter annuit, dum laboribus delectatur, & Chriſto ſe gratanter impendit. Iamq́ eo aliquantulum progreſſo, vnus de diſcipulis eius, qui eum*

D. Antonin. 2. p. chronic. c. 17. §. 2.

eum de Hybernia secutus fuerat, ad hanc ipsam delectus expeditionem, quia cum ipso exire nequiuerat; post eum profectus est. Cumq; ad Ternodorum venisset, ibi decumbens paulò pòst defunctus est. Cùm autem S. Germanus cum socijs suis hæreticos, sicut & antea, confudisset, & ad propria remearet, contigit eum ad eumdem deuenire locum. Cognoscensq; per spiritum ibi decessisse discipulũ, accedens ad locum, in quo fuerat tumulatus, iussit reuelli sepulchrum: vocansq; eum ex nomine, quid ageret, & an secum adhuc militare cuperet, requisiuit. Mox vitali resumpto spiritu defunctus residet, cunctaq; sibi constare suauia, ac se nolle huc vlteriùs reuocari respondet. Cui sancto annuente, vt quiesceret, ille capite deposito, iterum obdormiuit in Christo. An non iste vitam prætulit meliorem? Sed quid anima illius? annè corpori iuncta desijt esse beata? Si non tantisper in Paradiso, vel alio amœno loco fuit, vt in similibus suprà cap. 6. §. 2. dixi, idem sentiendum est, quod asseruimus de ijs, qui absoluto decreto nondum damnati ex inferno redierunt. Potuit enim anima illa rapta ad cælum videre, quæ D. Paulus vidit; atque inde redire ad mortale corpus, in quo manere noluit, vt absoluto de-

creto, cælo assereretur. Potuit & beata permanens corpus suum ad tempus mouere, corpore nondum beato, in quo proinde noluerit habitare diutiùs, donec & illud indueret immortalitatem: neque denuo mori, animæ aliquid detraxit de beatitudine, cùm & Christi anima, in ipsa quoque morte Christi fuerit beata. Atque hoc etiam de alijs similibus dici potest, vt de S. Cassiano, de quo idem Author hæc habet, *Cùm verò de Britannia remearet*, (S. Germanus,) *per Augustodunum transiens ad tumulum S. Cassiani Pontificis peruenit, quem cùm quomodo se haberet, inquireret, ille statim è tumulo, audientibus cunctis dixit: Dulci quiete perfruor, & Aduentum Redemptoris expecto. Cui B. Germanus respondit. Quiesce per longum tempus, & pro nobis, & pro hac plebe attentiùs intercede, vt obtinere sacræ resurrectionis gaudia mereamur*. Quamuis hîc nullum corpus ad vitam reuocatum visum sit. Sola vox audita est è sepulchro, quæ potuit ab Angelo formari, vt sæpe aliàs contigit, immò & ab ipsa anima beata, quæ vice corporis animati diceret: *Dulci quiete perfruor, & aduentum Redemptoris expecto*. Hæc autem cùm dicimus, dicimus fieri potuisse; quid autem

S. Antonin. ibid. §. 4.

aut

aut quo horum modorum talia facta reipsa sint, solùm certò scit, qui fecit; aut quibus ea reuelauit, qui ad nos monendos atque erudiendos fecit.

CAPVT VIII.

Incertam esse Iudicij Particularis diem & horam.

DVplicati metus caussa est certitudo mali venturi, & temporis incertitudo: sicut enim illa metum incutit, ita hæc continuat, vt semper timeatur, quod certum est venturum; incertum, quando sit venturum. Et sæpe aliquid vel idcirco timetur: quoniam instare creditur. Quia Aristoteles, teste Stobæo, dicere solebat; *Ea, quæ longissimo tractu à nobis absunt, nemo metuit.* Hinc, cùm moriturum sese nemo ignoret, mortem tamen, quam prope esse non suspicamur, minimè expauescimus; quamuis ea planè sit etiam longissimè distans, præsertim homini malo, semper expauescenda, cùm de Boliti pœna non agatur. I. IVDICII PARTICVLARIS METVM, OB INCERTITVDINEM DVPLICARI.

Quoniam igitur manifestum est, *Iudicium quoddam particulare*, apud Deum, II. INCERTITVDINE

HAC HOMINES CAVTIORES REDDI.

vnicuique ſuſtinendum, aliquando quidem, aliquâ morâ poſt mortē interiectâ (quamquam rariſſimè) ordinariâ tamen Dei lege, in ipſo ſtatim momento mortis, meritò omnis homo ſemper eſſe debet pauidus. Auget enim vehementer pauorem iſtum, temporis incertitudo. Tela minùs feriunt, ſi præuideantur. Olim *factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul, ſedebat autem in domo ſua, & tenebat lanceam : porrò Dauid pſallebat manu ſua. Niſusq́; eſt Saul configere Dauid lanceâ in pariete, & declinauit Dauid a facie Saul, lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in parietem, & Dauid fugit, & ſaluatus eſt nocte illa.*

1. Reg. 19. 9.

Ita multi ſciunt declinare forum, ſi ſciunt, quo die ſint in jus vocandi; capiuntur autem, quibus aduentus ſtatoris eſt inexpectatus. Et ſanè ſicut lanceam Saulis declinauit Dauid, ita fortaſſe Iudicium quoque Dei, ſi non effugerent, ſaltem mitigarent, qui ſpiculum Mortis in ſe vibrari cernerent: neque in malo animæ ſtatu capi ſe à Morte, rapiq́; ad diuinum tribunal ſinerent, ſi cognoſcerent, quo die, quáue hora, ſibi ſit è vita exeundum. Itaq;, in ciuili iudicio, *dies alicui dicitur*; in diuino iudicio, *dies* non *dicitur*; quin omnis dies *faſtus* eſt Deo; ſemper, apud

Cic. 3. in Verr.

apud eius Tribunal, *lege licet agere.* Ceterùm certa est dies illa Deo, homini incerta; quia ignota. Quemadmodũ enim belli dux hostem aggressurus, designat in charta tempus, & locum, quo hic, aut ille tribunus cohortem suam ducere & confligere debet; vnde ipse certus est de vnoquoque, & de statione, & de hora, qua pugnaturus est; miles autem etsi sciat, quòd sibi, & cum quo pugnandum sit; nescit tamen locum aut horam prœliandi, donec eum dux iubet pugnare & classicum canere: sic *solus Pater cælestis* scit, qui annos, & numerum dierum singulis annotauit, locumq́ue designauit, in quo cum morte congressurus est. Nos scimus agonem istum nobis imminere, & hostem scimus, sed locum, aut diem mortis nescimus; vt numquam in eo statu viuamus, in quo nolumus mori; semperq́ue vigilemus. Qui numquam est tutus, numquam debet esse securus. Qui strychum edunt, aut cum vino potant, semper præter alia deliria, stuporem triduanum patiuntur. Haud aliter insaniunt, qui, gustata carnis voluptate, ita viuunt, ac si iudicium numquam sit venturum, quod hodie non subierunt.

Ad temporis huius incertitudinem osten-

PARABOLA DE DECEM VIRGINIBVS IVDICII INCERTITVDINEM DOCET.

Matth. 25, 13.

dendam tota tendit illa parabola de 10 Virginibus, quam proinde Dominus IESVS ita concludit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* Quàm modicus somnus exclusit à nuptijs Virgines fatuas, quæ proinde tremendam illam, in damnandos intorquendam, vocem: *Nescio vos*, audire coactæ sunt. Virgines fuerunt; obuiam processerant sponso & sponsæ; expectârant diu; aliquantulum somno indulserant & quieti; & eo ipso tempore sponsus venit, inuenitque dormientes pariter & imparatas. Ad quem modum, nimis prô dolor multos Christus, in repentina morte, reperit imparatos. Hinc est, quòd non libenter moriantur. Sicut enim nemo libenter extemplò iter facit, sed ad illud sese priùs accingit, & conuasat; ita multò minùs, qui lumbos suos nondum præcinxerunt cilicio pœnitentiæ, & cingulo castitatis, læta mente itineri sese committunt æternitatis. *Vigilate itaq;, quia nescitis diem, neque horam;* nec animam in præceps euntem, ipsi in præruptum imponite.

Matth. 25, 13.

IV. CHRISTVS IPSE HANC INCERTI-

Hoc ipsum Christus & alio loco protestans dixit: *De die autem illa & hora nemo scit, neq; Angeli cælorum, nisi solus Pater. Sicut*

autem

autem in diebus Noë, ita erit & aduentus Filij TVDINEM
hominis. Sicut enim erant in diebus ante dilu- INCVLCA-
uium comedentes, & bibentes, nubentes & nu- VIT.
ptui tradentes, vsq; ad eum diem, quo intrauit Matt. 24.
Noë in arcam, & non cognouerunt, donec ve- 36.
nit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduen-
tus Filij hominis. Et paulò pòst subiungit:
Vigilate ergò, quia nescitis, qua hora Dominus
vester venturus sit. Illud autem scitote, quo-
niam si sciret paterfamilias, qua hora fur ven-
turus esset, vigilaret vtiq;, & non sineret perfo-
di domum suam. Ideò & vos estote parati, quia
qua nescitis hora, Filius hominis venturus est.
Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem
constituit Dominus suus super familiam suam,
vt det illis cibum in tempore? Beatus ille ser-
uus, quem, cùm venerit Dominus eius, inue-
nerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam
super omnia bona sua constituet eum. Si autem
dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram
facit Dominus meus venire: & cœperit percu-
tere seruos suos, manducet autem & bibat cum
ebriosis: veniet Dominus serui illius, in die, qua
non sperat, & hora qua ignorat: & diuidet
eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic
erit fletus & stridor dentium; & quidã Ocea-
nus ærumnarũ. Hæc omnia Christus disci-

pulos suos sedens in monte docuit tunc, cùm ad eum *accesserunt secretò dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui?* Quo loco & aliam similitudinem adiunxit, qua longè velocior inexpectatiorque eius aduentus exprimitur. Dixit enim:

Matt. 24. 27. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis.* Idem testati sunt Apostoli, quod à Magistro didicerunt.

V. Petri et Pavli et Ioannis eadem mens.

2. Pet. 3. 10. Petrus ita loquitur: *Adueniet autem dies Domini, vt fur.* Qui quamuis de die vltimo Mundi loquatur, intelligi tamen eadem vult de die particularis Iudicij, cùm idcirco nos velit esse *expectantes & properantes in aduentum Domini;* quod facimus, dum mortem, Iudicis illius apparitorem, expectamus, & desiderijs magnis cupientes dissolui, quodammodo *properamus in aduentum Domini,* quem speramus. Quod ipsum etiam ad Thessalonicenses suos scripsit D. Pau-

1. Thessal. 5. 1. lus his verbis: *De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis, vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint: Pax & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero ha-*

ro habenti & non effugient. Sicut igitur fur venit, dum homines dormiunt, ita multi dormiunt, Christo veniente, atque inopinatò opprimuntur. Comparat verò Apostolus aduentum hunc Domini *dolori in vtero habentis*, quia vt hanc, repentè, nesciam, dolor partus corripit; ita ex improuiso dolor & angor Iudicis ac Iudicij impios corripiet, neque effugere sinet, siue impietatem, siue pœnitentiam seram & fictam parturientes.

Eleganter in hunc Pauli locum S. Anselmus ait: *Mulier prægnans, quæ in vtero diu portauit cum pondere, tandem eycit cum dolore: quia & reprobi malum, quod diu latuit intra conscientiam ipsorum, & grauauit eam, in conspectu Iudicis, cum graui tormento, cunctis manifestabunt. Mulier cum voluptate pondus illud concipit, sed vt dictum est, cum dolore eycit: quia reprobi culpam cum voluptate libenter commiserunt, sed ante districtum Iudicem, hanc inuiti multa cum amaritudine manifestabunt. Mulier, dum non sperat, subitis doloribus incipit vrgeri, vt pariat: quia & reprobi dum non præuident, incipiunt repentinis cruciatibus compelli, vt latentia mala, quæ intus habent, ante tribunal æterni Iudicis ad publicũ proferant. Ita ergo subitis doloribus incipient torqueri intrinsecus.*

trinsecus, instar prægnantis, & non effugient. Mulier namque euadit, sed illi non effugient. Quid quòd prægnantes illi sunt, qui bona sanè consilia ac proposita conceperunt, sed ea semper differunt, numquam pariunt? Eâdem furis insperatò venientis similitudine, de Particulari Iudicio loquitur Deus ad Episcopum Ecclesiæ Sardis, apud D. Ioannem:

Apoc. 3. 3. *Si non vigilaueris, veniam ad te, tamquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te.* Et infra:

Apoc. 16, 15. *Ecce venio, sicut fur. Beatus, qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Reuelatur enim turpitudo hominis imparati & non vigilantis, quemadmodum Vdonis Magdeburgensis turpitudo est reuelata, vt suprà diximus. Cur autem furi se comparat & ipse Dominus, & illum Apostoli? Quia fur nocte venit, cùm omnes securè dormiunt, nec quidquam timent; item quia fur non venit cum strepitu, ligneis calceis solum, velut vngulâ pulsans, sed laneis pedibus: item quia furem omnes timent, nec dormiunt, sed diligenter excubant, quando eum venturum suspicantur: denique quia sicut fur omnia, quæ potest, rapit, ita Dominus & hanc

hanc, & æternam vitam aufert ab ijs, qui vigilare, in tanto negotio, noluerunt.

Superiora testimonia, si de Iudicio vniuersali dicuntur, possunt debentque etiam intelligi de Particulari. Quia dies, vt D. Chrysostomus ait, *non solùm cõmunis ille, sed & vniuscuiusq; proprius ita veniet. Iste quippe illum imitatur. Est enim & iste cognatus illi. Quod enim ille simul & summatim, hoc iste per partes facit.* Iste singulos judicat, ille vniuersos. Vterque veniet inopinatus, maximè autem dies Iudicij peculiaris. Quod non tacuit etiam Ecclesiastes dicens: *Nescit homo finem suum;* & Iob: *Nescio, quàm diu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.* Vniuersale Iudicium signa multa præcedent; judicium particulare, sæpe est repentinum. Idem occinunt Ethnici & Oratores, & Poëtæ. *Moriendum enim,* ait Tullius, *certum est, sed id incertum, an eo ipso die.* Hinc & Secundus Philosophus ab Adriano Imperatore interrogatus, *quid esset mors?* teste Laërtio, respondit, *esse incertam peregrinationem;* & Messodanus jam senex, cùm ab amico in crastinum vocaretur in conuiuium, *Cur me vocas in crastinum,* inquit, *qui à multis annis non habui crastinum,*

VI. EADEM MENS ALIORVM.

S. Chrys. tom. 4. in 1. Thessal. c. 5. hom. 9

Eccles. 9. 12.

Iob. 32. 22.

Cic. lib. de Senect.

Guido Bituric. ex hist. Eccl.

sed

sed mortis aduentum, in singulos dies expectaui[t] que nobis numquam non insidiatur, donec nos incautos etiam interdum opprimat? Idem facere jubens Horatius ait:

Horat. 1. ep. *Omnẽ crede diem, tibi diluxisse supremum.*

Horat. l. 1. carm. oda 11. Et alibi. *Tu ne quæsieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi*
Finem dij dederint.

Incertam igitur & diem, & horam mortis, & inde mox etiam sequentis Iudicij habemus. Neque ætas, neque vires, neque diuitiæ, aut potentia & dignitates vnum altero faciunt tutiorem. Cæca mors est, non aspicit formam, non mouetur iuuentute, non flectitur senio, non corrumpitur auro, nullius terretur potestate.

Virg. in Mæcenatis obitũ. *Illa rapit iuuenes prima florente iuuenta,*
Non oblita rapit sed tamen illa senes.

Horat. 1. carm. 4. *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,*
Regumq; turres.

Idem 1. *Mista senum ac iuuenum densantur funera, nullum*

Carm. 28. *Sæua caput Proserpina fugit.* Qua de caussa

Laërt. l. 2. Anaxagoras cùm absens morti addictus esset, mortem nuntianti dixit: *Iam olim istam sententiam tulit natura æquè in illos, atq; in me;*

signifi-

significans, Athenienses non minùs addictos morti, quàm esset is, quem damnarent. Hinc illi salutares gemitus.

Heu mortem inuisam! quæ sola vltricibus armis Maffæus Vegius in appendic. Virg.
Elatos franas animos, communia toti
Genti sceptra tenens, æternaq; fœdera seruans,
Quæ magnos paruosq; teris: quæ fortibus æquas
Imbelles, populisq; Duces, seniumq; iuuenta.

VII. CERTAE MORTIS INCERTITVDO.

Argutè, & verè Alphonsus Rex interrogatus, *Quæ res reges ac priuatos, diuites ac pauperes, claros & obscuros, deniq; omnes prorsus exæquaret*, respondit: CINIS. Significans nullum à morte discrimen obseruari. Immò, si quod fuit discrimen in vita, tollit id cœmiterium. Et discrimen mihi assigna, quæ calua gessit diadema? quæ coronam? quæ gemmis fuit, aut pannis tecta? vix inter virum & feminam discernes, nedum inter agricolam & dynastam. Et hæc ipsa crania, cùm cinesient, magis ipso in puluere exæquabuntur. Ita & inter viuos nullum habet discrimen mors, & mortuos tandem penitus exæquat. Sicut autem mors, ita mortem consequens iudicium, nullum tempus

Æneas Sil. lib. 4. de reb. gestis Alphonsi.

tempus ſeruat, vt omne tempus ſit ſuſpectum. Alij iuuenes iudicantur, alij ſenes. Summâ ſapientiâ, nullâ differentiâ hanc ſiluam cædit iuſtiſſimus iudex. Si in iuuenes ſolos ſæuiret mors, blandirentur ſibi ſenes; ſi in ſolos pauperes telum vibraret, triumpharent diuites; ſi in populum falcem tantùm ſtringeret, Duces, Reges & Cæſares quàm non ſe ſe efferrent? ſanè ad Satrapas iſtos in conclaue nemo admittitur externorum, niſi obtenta priùs poteſtate veniendi ac intrandi. At mors audientiam non petit, à maiore Domino mittitur; ipſa ſibi facit licentiam ingrediendi. Vt perinde vaniſſima ſpes ſit iuuenum ab annis; ſenum à conſuetudine viuendi, diuitum à pecunia, Principum à potentia ſibi immunitatem promittentium. Vana ſpes eſt, quæ tali nititur fundamento. Oſſea Mors eſt, non carnea, non mollis; citat, quemcumq; iubet Deus citari; & quandocumque iubet. Aliquando quidem lento venit paſſu, aliquando aduolat; optantibus mori tarda, & viuere cupientibus feſtina; nec raro ſanos opprimit.

VIII. INCERTITVDO

Sicut è foro vnus citò, ſerò alius, ita è vita diſcedit. *Longiùs, aut propiùs Mors ſua quem-*

quemque manet. Arbor nunc flores, nunc fructus, nunc folia amittit. Et fructus ipsi non omnes perueniunt ad maturitatem; quidam etiam in ipso ramo putrescunt, quidam vermibus exesi cadunt, quidam ventis deijciuntur. Ita ex hac vita alij, in ipso flore ætatis dilabuntur, alij cùm iam fructum facere incipiunt; alij perseuerant vsque ad putidam senectutem. Quare Mortis spiculum est *vncinus* pomorum, iam hunc, iam illum ramum concutiens, deijciensque non minùs rubentia, quàm albentia poma. HAEC IN ARBORE EXPRESSA. Propert. lib. 2.

Victor cum victis pariter miscebitur vmbris. Propert. lib. 3.

Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes.

Nemo tam vilis est, vt lateat, nemo tam copiosus, vt Parcam muneribus corrumpat, meritò proin in hunc modum compellandam.

Sub tua purpurei venient vestigia reges,
Deposito luxu, turba cum paupere mixti:
Omnia mors æquat. Claudian. lib. 2. de Rapt. Proserp.

IX. EXPRESSA IN DOMO CADVCA.

Est igitur mors certa, incerta hora mortis non minùs diuiti, quàm pauperi. Neq; certũ est eius vllum argumentũ. Præcedunt sæpe nuntij, anteuolant morbi, vt habeat sanè

non rarò & Libitina suos anteambulones. Nam quemadmodum domus ruitura, & rimas in pariete accipit, & tegulas in tecto amittit, & fractis fenestris vento se peruiam præbet, & inclinata trabe fatiscit; & nunc hîc, nunc alibi tibicine aliquo fulcienda est: ita & corpus humanum maximè cùm ad senium vergit, nescio quas vndique fistulas, quæ cauteria, quæ vulnera & vlcera tamquam rimas, patitur; comæ, velut tegulæ de tecto, defluunt caluumque ostendunt; & passim ei impluit quotidianis catarrhis: nec iam ipsæ oculorum fenestræ officio suo funguntur, deficit enim visus, & subit lachrymosa lippitudo. Denique incuruatur totus homo sicut ruinosa domus, trabe prægrauata, quin & scipione nitens, tamquam caducam domum tibicine se fulcit. Hæc possunt esse prodromi nuntijq; mortis, non tamen diem multoq; minùs horã significant. Præcedent nouissimum quoq; Vniuersi diem signa, sed tamen diem ipsum incertum relinquent. Ita & morbi, & reliqui defectus signa quidem sunt, sed potiùs mortalitatis, quàm mortis. Multi enim senes curui, multi lippi, multi calui, multi duobus, tribus, quatuor, pluribusque cauterijs scaturientes,

entes adhuc diu prouixerunt. Accedit, vt domus ruinam minans, suffulta, & restaurata quodammodo conualescit, sic è desperatissimis morbis multos ægrotos seu vi diuina, seu arte humana conualescere. Nec ferè quisquã est tam infirmus, qui non speret, se ad vires rediturum. Incerta est ergo etiam ipsis grauiter licet decumbentibus Mortis hora; & adeò etiam Iudicium, quod Morte obita, est homini adeundum.

X. QVID S. AVGVSTINVS EX HAC MORTIS, ET IVDICII INCERTITVDINE DOCVERIT? S. Augustin. lib. de salutaribus documentis. cap. 39.

Itaque *ne de misericordia Domini tantum securi existamus, vt peccatis peccata augeamus,* ait S. Augustinus, *neque dicamus: Donec viget ætas nostra carnis, concupiscentias nostras exerceamus, & postremò in senectute malorum nostrorum pœnitentiam agamus: pius est Dominus, & misericors, nec vltra facinorum nostrorum recordabitur. Ne quæso, taliter cogitemus, quia summa stultitia est hæc cogitare: cùm & impium sit talem licentiam à DEO postulare quempiam velle, cuius initium est, nos separare à Deo: ideò: ideò, inquam, talia ne cogitemus, cùm nesciamus, qua die morituri simus. Nemo enim hominum nouit diem exitus sui. Non omnes in senectute moriuntur, sed in diuersis ætatibus, de hoc mundo migrant. Et in quibus actibus vnusquisque homo inuentus fuerit, in*

eiſdem iudicabitur, quando anima exierit de corpore. Dicit enim Pſalmiſta: Nemo in inferno confitebitur tibi. Ideò feſtinemus ad pœnitentiam conuerti. Semper ante oculos noſtros verſetur vltimus dies: & cùm diluculo ſurreximus, ne ad veſperam nos confidamus peruenire; & cùm in lectulo membra depoſuerimus, de lucis non confidamus aduentu: ſic & facillimè poterimus corpus noſtrum à vitijs, & concupiſcentijs refranare.

CAPVT IX.

Quas ob cauſſas hora Mortis, & Iudicij Particularis ſit incerta?

I. CVR EX PARTE HOMINIS MORS SIT INCERTA?

ITaque cur incerta ſit hæc Mortis Iudicijq́ue hora, multæ poſſunt cauſſæ afferri. Nam ex parte hominis, ex parte mortis, ex parte Dei, cauſſæ habentur. Homo enim non eſt diuinus, quare futura, niſi reuelante Deo, præſcire non poteſt. Ea illius natura eſt, vt poſſit vario genere lethi occumbere, pro varia occaſione. Occaſiones autem quis etiam prudentiſſimus, & prouidentiſſimus omnes proſpiciat? Solius Dei eſt certò prænoſcere futura, quæ contingunt. Si homini cuique ergo ſua deberet mors nota eſſe, deberet & prælia,

prælia, & incendia, & infinita talia scire: vnus enim in prælio, alter in incendio, tertius in naufragio, alij aliter pereunt. I in silnam, & dic mihi, quænam arbor sua ætate sit emoritura, quæ vento euertenda, quæ fulmine exurenda, quæ depascenda ignibus, quæ in domus regiæ ædificium adhibenda, & quonam die, aut hora? Si de arboribus eodē semper loco stantibus id dicere nequis, quid de te scies, qui nec in eodem loco, nec in eodem statu permanes? mille pericula adis, vbique Mors expectat summi Iudicis signum; quod vbi ille dederit, mox te inuadet illa, tamquam lictor, & in ius rapiet.

Nam rigidum ius est, & inevitabile mortis. Quis naturæ suæ temperamentum ita habet perspectū, vt nôrit, quàm diu victurus sit? Cùm & medici ipsi sæpe errent, in hora obitus, etiam deploratissimo morbo, prædicenda. Quàm multi bonam corporis constitutionem ingluuie atque vinolentia depopulantur? *In multis escis erit infirmitas,* Eccli. 37. &, *propter crapulam multi obierunt.* Hi, etsi 33. 34. à natura magnas vires acceperunt, tamen magnis passibus ad mortem gradiuntur; & quemadmodum alij pocula sumunt ad re-

cuperandam, ita & isti ad suffocandam sanitatem.

II. Mortis igitur varietas etiam caussa est, vt scire homo non possit, qua via sit ventura; aut, quo die vitæ filum incisura. Verè Statius.

Ipsa mortis varietas mortem facit incertam.

Stat. l. 9. Theb.

Mille modis lethi miseros mors vna fatigat.

Et Cornelius Gallus:

Omnibus est eadem lethi via: non tamen vnus
Est vita cunctis exitijq; modus.
Hàc pueri atque senes pariter iuuenesq; feruntur,
Hàc par diuitibus pauper egenus erit.

Ac rursum Statius:

Stat. l. 2. Silu.

Nam populos mortale genus, plebisq; caducæ
Quid facit interitus? hos bella, hos æquora poscunt:
His amor exitio, furor his, & sæua cupido.
Vt sileam morbos: hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido lethalis Sirius igni;
Hos manet imbrifero pallens autumnus hiatu.
Quidquid habet ortus, finem timet.

Silius. lib. 3. Denique *Et pace, & bello cunctis stat terminus æui,*
Extremumq; diem primus tulit.

Vbi

Vbi mors non est, si iugulatis aqua? dixit is qui audierat, stiriam de tecto lapsam iugulasse transeuntem. Nolo hîc è diuinis litteris, nolo è profanis historijs catalogum exscribere eorum, qui diuersissimo mortis genere vitam finierunt. Quis Alexandro Eleo Philosopho dixisset, sic figendum? & tamen ille amnem Alpheum pernatans, cùm pectore in acutam arundinem, quæ aqua tegebatur, incidisset, corpus confodit atque interijt. Non loquar de Fulcone Gallo Hierosolymarum rege; qui cùm, in Acri, leporem sectaretur, collapso equo collum effregit; non de Ioanne Castulonensi rege, qui equi casu detritus interijt. Quàm multos vel ego noui præclaros adolescentes, iuuenes, viros, qui aquis interierunt; vt Bruntruti pridie D. Magdalenæ, Ingolstadij in peruigilio S. Ioannis Baptistæ, & in festo B. Virginis Assumptæ, quantæ spei homines exierunt, vt aquis corpus abluerent ac refrigerarent, qui ingenti suorum luctu, vitam in profundo perdiderunt? Apud nos, quàm illustres animæ equo cadente, ad diuinum tribunal sunt euocatæ? Non procul Frisinga, propter publicam viam, erecta est ad crepidinem columna, in qua & nomen & imago

Io. Bapt. Campo-fulg. lib. 9. cap. 12.

 nobilis-

nobilissimi, sed hæretici iuuenis exprimitur, qui cùm sub discessum, propinatum sibi vltimum de more haustum in honorem S. Ioannis Euangelistæ bibere nollet, sed petulanter contemptum super equi sui caput effudisset, vix vrbe egressus, inibi cum equo in subiectam vallem lapsus repentè extinctus est, equo incolumi: vt vnà sessor & iumentum, ille vindictam S. Ioannis, istud benedictionem sentiret. Alius æquè nobilis, æquè iuuenis, corpore robustus & vegetus, animo, vt sibi videbatur generosus, cùm Ingolstadio discederet, ad Bacchanalia Eichstadij celebranda, eum in modum, vt jactabat, ne quisquam dici posset magis insaniuisse; ibi legem tulit inter compotores: Vt quocumque demum modo propinaretur, eo cogeretur alter respondere. Fuit qui in capax vitrum, vino media parte plenum, casu cochleas in butyro coctas mensæ illatas infunderet, atq; vnà cum mero propinatum illi exhauriret. Postea poculum illud denuò ad eumdem modum præparatum, natantibus sursum ac deorsum cochleis, & butyro ipso, fœdum in aspectum, in summo vino concrescente, nauseam homini mouit. Sed, non obstante fastidio, sua lege

lege coactus est, quiquid sibi intriuerat, excedere, immò vno haustu epotare. Fecit, sed nulla arte potuit reuomere, correptus calida febri, intra paucos dies extinctus est. Aliquot tamen illi dies concessos arbitror, vt stultitiam suam, vitæque huius vanitatem posset deplorare. Mille talia, vel nostra ætas suppeditat exempla, quæ Mortis & varietatem, & celeritatem, & insidias luculentè demonstrant. Vnde clarum est, nulli diem suum, aut horam constare.

At quam ob caussam voluit Deus diem Mortis Iudicijque nobis esse incertum? Vtique non nisi ob optimam. Iulius Cæsar, cùm inter cœnandum ortus esset sermo, *Quod genus mortis esset optimum?* incontanter respondit, *Inopinatum*, & quod optimum iudicauit, ipsi contigit. Nos inopinatam & improuisam mortē horremus & deprecamur. Et tamen Deus, paucis mortem suam reuelat. Vult ergo esse diem & horam eius incertam. Quid ergo? num etiam inopinatam? Nequaquam. Sed vt opinionem eius numquam deponamus. Hinc ait: *Vigilate itaq;, quia nescitis diem, neq; horam.* Hoc & Augustinus infert, dum ait: *Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies.* Nulla

III. DEVS VIGILANTES FACIT OB MORTIS INCERTITVDINEM. Plutarch. in Apoph.

S. Augustin. l. de Contrit. cordis. c. 10

res tam facit attentos, quàm iſta incertitudo. Circitores in militia, non obſeruant certum tempus circumeundi ac viſitandi; ſic numquam ſecuri, numquam dormiunt excubitores. Paterfamilias, ſi ſciret, qua hora fur veniret, vigilaret vtique. Seruus, qui neſcit Domini aduentum, neſcit ſomnũ, ſi ſapit: alioqui cum fatuis Virginibus dormiens punietur. Non dormiſſent, ſi ſapuiſſent; quia aduentum ſponſi neſcientes vigiles perſiſtere debuiſſent. Aliter egerunt Virgines prudentes; aliter Iob, qui ait: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* Non reſpondiſſet, niſi vigilaſſet. Vt vigilaret, mortis fecit incertitudo.

Iob. 14. 14

IV. ITEM PECCATA IMPEDIT.

S. Auguſt. lib. 2. de doctr. Christiana.

S. Hieronym. ad Heliod.

Eamdem cauſſam dederunt SS. PP. *Timor de futura morte*, ait S. Auguſtinus, *mentẽ neceſſariò concutit, & quaſi clauus carnis motus omnes ſuperbiæ ligno crucis affigit. Non poteſt malè mori, qui bene vixerit; & vix benè moritur, qui malè vixit.* Sentit idem S. Hieronymus; *Nihil*, inquiens, *æquè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm cogitatio breuis æui, & huius incerti. Quidquid facies, reſpice mortem.* Idem ſcripſit Seneca,

cuius etiam illud est: *Effice mortem tibi cogitatione familiarem, vt si ita sors tulerit, possis illi obuiam exire.* Quamobrem Musonius interrogatus, *Quis optimè extremum diem claudere posset?* respondit: *Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit.* Caussas plures, cur Deus voluerit, diem Iudicij maximè particularis esse incertum nobis, enumerat S. Chrysostomus, & ex eo Theophylactus his verbis. *Prima est, quia si nouisset homo diem suum vltimum, nihil non scelerum conaretur patrare, alijs diebus: deinde fine vitæ appropinquante baptizaretur. Deinde plerique, si nouissent, in crastinum v. g. se morituros, innumeris malis hostes affligere meditarentur, tamquã iam de se ipsis desperantes hostiumq; se explere sanguine cupientes: quod nunc non fit, mortis eos terrore remorante, vitæq; cupiditate. Præterea vitæ suæ amantiores præ nimia desperatione ac tristitia perirent, si mortis suæ tempus ac momentum compertum haberent. Adhæc iusti non tantũ mercedis haberent periculis obiecti: quia compertum haberent, se nunc haud morituros, sed post tot v.g. annos. Nunc verò cùm incertum sit, euadantur pericula, an secus, nec vel sic tamen mortem euadere laborant, perspicua eorum virtus est. Quemadmo-*

Senec. ep. 25.

Maxim. serm. 16.

S. Chrys. in 1. Thess. 5. & Theophyl ibid.

dum

dum enim tres pueri ea de caussa maiorem admirationem merentur, quòd, cùm non satis nouissent, an ex igne essent euasuri, nec ne, neque sic tamen statuam adorauerunt. Propterea obitus noster erit, tamquam fur in nocte.

V. SOLERTEM CVRAM INIICIT.

Tametsi igitur Deus tamquam absolutus Dominus potestatem habet ad se vocandi seruum, quando ipsi, non quando seruo placet; tametsi, tamquam supremus magistratus, potest nos è corpore & carcere mortis huius euocare, quando ipsi videtur: spectat tamen in nostra morte non tantùm suam potestatem, sed nostram etiam vtilitatem. Sic nos facit attentos, sic vigilantes, sic, vt quemadmodum *oculi seruorum in manibus dominorum suorum, & oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita & oculi nostri sint ad Dominum Deum nostrum.* Quid militem facit excubias gnauiter seruantem? metus aut hostis irrumpentis, aut Ducis visitantis. Quid institorem adigit, vt nauim semper habeat in portu, nisi quia nescit, quando ventus, quem optat, sit spiraturus? *Qualem te inuenit Dominus, cùm vocat,* ait S. Cyprianus, *talem te & iudicat.* Nulli fidit horæ, qui omnes horas suspectas habet. Tempus omne obseruat, qui scit nullo non tempore se posse

Psal. 122. 2.

S. Cyprian. serm. 4. de mortalit.

posse mori. Quare sapienter Antiphanes solebat dicere: *Mortalia præcipuè hominibus cogitanda esse: quandoquidem diebus omnibus sit moriendum.* Nec inscitè poëta: *Viue memor lethi*: & alius: Persius sat. 5.

Pange toros, pete vina, rosas cape tingere nardo: Martial. lib. 11.

Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

VI. IVDICIVM OB OCVLOS PONIT.

Hæc ipsa incertitudo horæ, quæ nos sistet Deo iudicandos, memores nos facit & Mortis, & Iudicij mortem secuturi. Hinc Heraclitus, mortem in omnibus hominibus perpetuò latere dicebat. Idem enim est viuus ac mortuus, vigilans & dormiens: adolescens & decrepitus: quia hæc in illa vicissimque mutantur. Habemus ergo perpetuum monitorem in nobis latitantem, qui nos iubet conuasare, nescios, quando repentè sit proficiscendum. Ioannes Eleemosynarius aliique complures constituerunt, à quibus quotidie monerentur, sepulchrum nondum esse absolutum; cogitarent proinde de eo perficiendo. Sic voluerunt sibi aurem velli, vt mortis identidem recordarentur. Ipsa hæc Mortis & Iudicij incerta hora nobis aurem vellit, si volumus illam præbere apertam, atque in iudicio brauium reporta-

Plutarch. de Consolat. ad Apoll.

Sur. 23. Ianuarij.

re. De eo qui ſecus facit, dici poteſt tritum illud: Qui ſe non habet, Samum habere poſtulat.

VII. MVLTAE SAEPE PRAEMONITIONES MORTIS AC IVDICII, SED FRVSTRA, PRAECEDVNT, VITIO HOMINVM.

Quin, ne nullis ſignis moneantur, multi homines morbis pulſantur, plagis ſauciantur, vt videant, quot ianuis vita poſſit exire; ſed illi ſimiles ſunt domum ementi ruinoſam. Fertur enim quis, cùm caducam admodum domum ab altero emere vellet, vitium id vendenti obieciſſe, nempe fatiſcere, & nimis eſſe vetuſtam, ac breui ruituram. Cui alter: Non cadet, inquit, antè, quàm ipſa tibi dicat. Empta eſt: paulò pòſt hiare cœperunt muri, & rimis domus vndique palàm fatiſcere. Qui emerat, jam limo, jam cemento, & calce lacunas omnes impleuit. Tandem ſubitò prolapſa ſuccubuit. Adijt eum, qui vendiderat, emptor, queſtuſque de falſa promiſſione dixit; ſpoponderas, domum mihi ſignificaturam, ſi ruitura eſſet. Cui alter: Planè, inquit, dicere id tibi domus volebat, ſed tu os illi, quod jam ad loquendum ſæpius aperuerat, occluſiſti; quando obſtruxiſti omnes rimas. Sic contingit mortalibus, pleni ſunt morbis, ſcatent vlceribus, cauterijs vndique perforantur; quotidie ſumunt medicinas; em-

plastris pænè vndique teguntur; obligantur fascijs: quid est hoc aliud, quàm fulcire domum ruinosam, opplere hiatus parietum, & obturare ora mortem nuntiantia? Hinc homines non credunt, se morituros, etiam cùm alterum jam pedem habent in cymba Charontis. Quod etiam circa vltimum Iudicium continget. Multa id signa præcedent. *Audientur prælia & seditiones.* Luc. 21. 9.
Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresq́; de cælo, & signa magna erunt. Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores: cùm producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. Nonnè hæc signa sunt plurima, & clarissima? Quin & monuit Dominus: *His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra.* Et tamen super hæc omnia extremi Iudicij dies dicitur incerta; quia hominibus

erit

erit inexpectata; neque vno die ista contingent. Vnde persuadebunt sibi mortales, semper aliud & aliud tempus restare. Itaque

Matt. 24. 36. *sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsq; ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis.* Hinc alibi ait Dominus:

Luc. 21. 34 *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* Ad eumdem modum, si quando signa venturæ mortis præcedunt, contemnuntur; curæque diuitiarum vsque ad extremum spiritum continuantur.

VIII. PERICVLIS SOLICITOS FIERI.

1 Thessal. 5.

Quod si Christus per diem Iudicij etiam signa præuia intellexit, minùs mirum est, homines ante ea signa dicturos: *Pax & securitas*, ac conuiuijs operam daturos; vt ita ex improuiso signis superuenientibus obruantur. Ad eumdem modum, etsi morbi, aliaque mortis signa mortem & singulare hominum judicium aliquando præeant, sæpissime

piſſimè tamen nullis ſignis præcedentibus. Mors venit inopina; tantoque incertior eſt eius hora, quantò minùs præſignata. Incertior, inquam, non in ſe, ſed ijs, quos è medio tollet. Vnde neceſſe eſt, eum qui non vult obrui, ſemper vigilare. *Opus eſt vigilantia, dilecti,* inquit S. Chryſoſtomus, *nam & miles dormit non in lecto, ſed humi: piſcator non dormiens piſcatur, ſed ſtans aliquando peragit noctem: agricola vigilat, ne domini vinea lædatur: & paſtor ſub dio ſtans noctē conſummat, gregem cuſtodiens, ſicut Iacob dicebat: Æſtu vrgebar, & gelu, & ſomnus fugiebat ab oculis meis. Et quæ ipſius vigiliæ ratio? ne vlla ouis à fera voraretur. Si verò tanta de irrationali pecude cura, quales eſſe decet de rationali anima ſolicitudinem gerentes? Propter hanc Iacob operarius lapidem ad caput ſibi poſuit dormiens, vt faciliùs euigilaret, vnde ſcalam vidit ad cælos vſq; pertingentem. Nos eſſe vult Dominus paratos, proptereaq; poſuit incertum exitum noſtrum, vt continuè vigilemus, & pugnemus.* Ita ex ipſo incommodo commodum oritur; & quia incertum eſt iudicij Particularis tempus, certi ſumus, nos, niſi ſemper vigilemus, ſemper periclitaturos.

S. Chryſ. hom. 22. ad pop. Antioch.

CAPVT X.

In quo loco Particulare Iudicium soleat haberi?

I. IVDICII ROMANI CERTA LOCA.

APud Romanos, ad quotidianam summariamq; litium decisionem, certi tribubus iudices concedebantur. Vnde & loca, in quibus ius dicebant, TRIBVNALIA solebant appellari. Designabantur autem loca certa his tribunalibus & Romæ, & per reliquam Italiam prouincialibus, quæ etiam, ex nominib. ædificantium, aut curantium ædificari, fora dicta fuerunt. Obseruat verò quamdā differentiam inter maiorum & minorum iudicum fora Dio Cassius, & ait: *Tribunal dictum* βῆμα, nempe *sellam cum gradu, sellam curulem*, & esse magistratuum maiorum; vt fuêre Consules, & Prætores Romæ; in prouincijs autem proconsulum & præsidum: minorum verò magistratuum βαθρά, id est *subsellia*. Xiphilinus, vbi de tribunali Bruti Prætoris narrat, & ipse id discrimen insinuat. Asconij verba hæc sunt: *Subsellia sunt tribunorum, trinummorum, quæstorum, & huiusmodi minora iudicia exercentium, qui non in sellis curulibus, sed in subsellijs considebant.*

Dio Cassius l. 44.

Xiphil. in Iulio.

Asconius Pædian. in diuinat. Ciceronis.

Fuêre

Fuêre etiam Romæ centum virorum fora, qui de caussis priuatis cognoscebant quotidie, vt de tutelis, vsucapionibus, & similibus, tamquam sedes iudiciorum ordinariorum, delectis iudicibus ternis, & singulis triginta tribubus, vt scribit Cicero. Cic. pro Cęcinna.

II. ETIAM IVDICII DIVINI VNIVERSALIS CERTVS LOCVS.

Quis locus, quæ cathedra, quod tribunal, aut quæ sella curulis est, cùm iudicat animas Deus? In extremo Iudicio erit locus certus ac determinatus, Vallis nimirum Iosaphat. Erit & thronus, aut sella curulis, nubes splendida. Sic enim ipse Iudex ait: *Tunc videbunt Filiũ hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate.* Luc. 21. 27. Pictores Iridi insidentem proponunt; non vt significent fœdus illud, de quo Deus dixit: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signũ fœderis inter me, & inter terram, cumq́ obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum,* &c. Gen. 9. 13. Cessabit tum fœdus, quod impij ruperunt. Quod igitur Isaac ad Filium suum Esau dixit: *Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras,* nimirum ad feras percutiendas: id Deus Pater, *qui omne iudicium suum Filio dedit,* dicet, quando iubebit illum tunc sumere arma sua, pharetram & Gen. 27. 3.

arcum, ad percutiendos homines; qui instar beſtiarum vixerunt. Hoc eſt, quod minatur dicens: *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: ARCVM ſuum tetendit, & parauit illum. Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* In hoc arcu, & tribunali æternæ mortis vaſa parauit; inde enim ſagittas illas vibrabit: *Ite in ignẽ æternum*, quibus damnati ardentes efficientur. Sic feris fiet. De ijs autem qui pietatem colunt, dicitur: *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.*

Pſal. 7. 13.

Pſal. 59. 6.

III. QVAE DE PARTICVLARI IVDICIO QVAERANTVR?

Hoc Tribunal, hic locus erit in maiore Iudicio, ſemel tantùm inſtituendo, ad quod omnes Angelica tuba conuocabit. Vnde & *Iudicium Vniuerſale* nuncupatur. Eſt igitur & aliud Iudicium minus, ſi apparatum ſpectes, ad quotidianam ſummariamque cauſſarum deciſionem deputatum. Ad quod itidem arcus & ſagitta, Mortis ſcilicet ſpiculum, velut arma reum ad Iudicium deducentia concurrunt; de quo duo quæruntur. Primum, An itidem certum locum habeat Iudicium illud, quod ſingulis ſtatim à morte eſt patiendum? Secundum, An iſti Iudicio præſit, & adſit non ſolus ſummus ille, qui in Tribunali ſedet, Iudex; ſed etiam, an alios

alios in ſubſellijs habeat Aſſeſſores, quemadmodum habiturus eſt, qui in Extremo Iudicio vnà cum eo iudicabunt?

IV. An certus sit particularis iudicii locus?

Certum eſſe locum, videtur inde poſſe colligi, quia, qui ad vitam redierunt, ſubinde recenſuerunt, ſe ad Tribunal, aut ſplendidum Iudicij locum raptos eſſe. Quin & Particulare Iudicium intelligunt ij morientes, qui ſubinde aduerſarios ſuos ſolent, certo die, ad *Vallem* eamdem *Ioſaphat* citare. Plurima eiuſcemodi exempla collegimus nos alibi, quod & alij fecerunt. Non procul duo contigerunt. Vnum Anabaptiſtæ, qui ignotus, cuius eſſet religionis, ſplendidam cuidam Domino, è notiſſima familia, domum cùm ferè vſque ad faſtigium perduxiſſet, ab eodem, contra datam fidem, in lite aliqua proditus, captus ad ſupplicium ductus, ad vallem Ioſaphat eumdem poſt ſe venire iuſſit. Dicto certo die, venit. Vti & alter, qui militem ita acerbè tractauit, vt in blaſphemas voces eum erumpere coëgerit. Blaſphemus ad rogum tractus, accuſatorem, cauſſam blaſphemiæ ſuæ, obuium, ad diuinum Tribunal euocauit. Intra paucos dies habuit ſequentem. Innumera talia paſſim contingunt. E quibus poſſet

In lib. de Sortib. cap. 4. Cornel. de Lap. de in c. 9. v. 5. Geneſis, & poſt eũ Hierem. Drexel, l. 2. Tribunalis cap 3. & ante eum Anton. Dauroultius in Catechiſ. hiſt. cap 3. tit. 23.

 conijci,

conijci, etiam singulare cuiusque Iudicium in *valle Iosaphat* institui.

V. LOCVS IVDICII PARTICVLARIS EST, VBI QVIS MORITVR.

Verùm non est ita. Nam est communior Theologorum sententia, Iudicij huius locum esse illum, in quo vnumquemque mors deprehendit: vt proinde non sit necesse expiranti, vel ad palatium splendidum, vel ad Vallem Iosaphat, aut ad alium certum ac determinatum locum proficisci. Probat hanc sententiam illud dictum CHRISTVS, quod inter dicta, quæ non sunt scripta in Euangelio, refertur à Cassiano & Augustino Manno: *Ubi te inuenero, ibi te judicabo.* Cuius rei primaria caussa est, quia Deus Iudex immensus, adeoque in omni loco etiam præsens est. Quare in omni loco habet suum tribunal, Iudiciumque hoc exercet. Accedit, quòd vtilissimum sit homini, sicut dies & hora eius est incerta, ita incertum esse & Iudicij locum, & quemadmodú timet omni hora, ita nullo etiam sibi loco promittat securitatem. Sic eum Deus facit vigilantem. Cùm Saul persequeretur Dauidem, confugit ad Achis regem: ibi tutus fuit. Quia iterum dixit Dauid, *aliquando incidam vna die in manus Saul: nonnè melius est, vt fugiam, & salner in terra Philisthinorũ* vt

Augustin. Mannus. lib. select. histor. cap. 154.

1. Reg. 21. 10.

1. Reg. 27. 2.

vt desperet Saul, cesset q́ me quærere, in cunctis finibus Israël? &c. Et nuntiatum est Sauli, quòd fugisset Dauid in Geth, & non addidit, vltrà quærere eum. Si sic liceret fugere mortē, si Iudicium Dei declinare; quò homines non currerent, aut nauigarent? Nulla insula tam esset remota, nulla tam dissita natio, ad quam se non reciperent. Hoste veniente, an non vndique è pagis homines confugiunt ad munitas arces atque ciuitates? an non mœnibus se defendunt? Contra homines hoc fieri potest; contra quos etiam aliqui se se in siluis, in montibus, in cauernis abscondunt. At Deus vbique exi-stit, omnes angulos perspicacissimè intuetur; nusquam latebis; nusquam te defendes; quando

Mors venit, in medio Tiburo Sardinia est.

Nulla mœnia adeò sunt excelsa, vt ea Mors non transcendat; homine autem mortuo, Iudicium mox peragitur. Non enim est ratio differendi. Vbi corpus iacet, ibi anima iudicatur. Idem est locus Mortis & Tribunalis. Desinere vitam, est, incipere iudiciū. Vno momento impius, à vita & cælo separatur. Quàm primùm anima abit è corpore, intelligit se judicari, adeoque vel saluari, vel

Abulens. Matt. 24. q. 239. Suar. to. 2. in 3. p. disp. 52. sect. 2. Soto in 4. distinct. 45. q. 1. a. 3. S. August. de vanitate sæculi. cap. 1. S. Bern. l. Medit. c. 2. Hugo de S. Victore l. 1. de anima cap. 2. S. Chrys. Hom. 14. in Matth. & 46. ad pop. Antioch. Bellarm. lib. 2. de Purgatorio. cap. 4. Apoc. 21. 27. Ioël. 3. 2.

ri, vel damnari; quod à loco non pendet; vt Abulensis, Suarez, & Soto tradunt. Quamuis D. Augustinus, Bernardus, Hugo de S. Victore, Chrysostomus ita loquantur, vt videantur existimare, animas singulas, simul vt à corporibus separantur, in cælo, ante Christum sisti. Vnde & Bellarminus scribit, non posse certò definiri, an animæ deferantur ad Iudicem, vel ibi iudicentur, vbi corpus relinquunt.

Quis autem sibi persuadeat, reprobos, vel Purgatorio adiudicandos, sisti in cælo ante Christi tribunal; cùm nihil coinquinatum in cælum possit introire, Ioanne teste? Neque necesse est, ad *Vallem Iosaphat* mortuos deduci. Nihil ea valle opus est in Iudicio particulari. Alia est ratio Iudicij Vniuersalis, tunc enim vniuersi in ea valle congregabuntur, iuxta illud Ioëlis: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi, super populo meo, & hereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, & terram meam diuiserunt.* Non congregabuntur ibi, vt sententiam suam possint audire; sed tum vt Christi iudicantis gloria ac maiestas, tum vt vniuscuiusque iustitia, vel iniquitas toti Mundo innotescat.

ſcat. In morte cuiuſque, ſatis eſt ſi ipſi iudicando ſententia ſua intimetur.

Neque his obſtat, aliquos ad vitam reuerſos, loca quædam ſplendida commemoraſſe, & magnum apparatum Iudicij, in quo fuerunt. Extra ordinem facta, non ſunt conſuetudinis argumenta. Neque credo, tales in cælo fuiſſe, ſed viſio eiuſcemodi, propter nos, qui corporalibus maximè rebus mouemur, illis exhibita vim habet terrorem incutiendi. Illi autem qui ſe ſe mutuò ad Vallem Ioſaphat inuitant, vocantque, non id volunt, quaſi Particulare hoc Iudicium in Valle Ioſaphat inſtituatur, ſed vtuntur communi modo loquendi, quo *Vallis Ioſaphat*, pro loco diuini Tribunalis accipitur. Poteſt etiam dici, multos, qui ad Vallem Ioſaphat appellârunt, iniurias ſuas vſque ad extremum & Vniuerſale Iudicium in Valle ea habendum, differre vindicandas. Illud obiter hîc monendum cenſeo, nec vituperandos omnes, nec omnes laudandos, qui ad Dei tribunal & vallem Ioſaphat alios citant. Siquidem ſanctiſſimi etiam ad Dei iudicium appellauerunt. Ita Geneſ. 31. 53. Iacob ad Laban, à quo iam ſæpius deceptus erat, dixit: *Deus Abraham,*

VI. QVO MODO QVIDAM AD VALLEM IOSAPHAT CITENTVR?

judicet inter nos. Ita 1. Reg. 24. 13. non habens iudicem Dauid, qui Saulem in terris iudicaret, ad Deum prouocans dixit: *Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciſcatur me Dominus ex te*. Ita 2. Paral. c. 24. 23. Zacharias ſacerdos iniuſtè lapidandus dixit: *Videat Dominus, & requirat*. nec ſine euentu. Ita S. Benno rectè Marchionem citauit, qui comparere ad diem dictum coactus eſt, vt conſtat ex eius vita, & Bulla Pontificis. Zelo Dei hæc poſſunt fieri; vt paſſim fiant, conſultum non eſt. Facilè in propria quis cauſſa poteſt decipi. *Mihi vindicta, & ego retribuam*, ait Deus. Deo iudicia ſua ſunt reliquenda: Chriſtus in crucem fixus, à crucifixoribus ipſis blaſphemijs appetitus, nó prouocauit, non citauit quemquã ad vallé Ioſaphat; ſed vnum è latronibus citauit ad Paradiſum. Patientia Deo gratior eſt, quàm vindicta noſtra. Multi temerè citarunt, nec tamen habuerunt ſequentes ad iudicium Dei, die dicto; quia iniuſtè citarunt. De quo argumento in libro de Sortibus diſputaui copiosè.

VII. DEVS HOMINES VNDECVMQVE

Cùm in terris ageret Chriſtus, nullum habuit diſcrimen locorum. Alios ad ſe vocauit à Ioannis Baptiſtæ latere auulſos, vt Andream

Andream & ſocium eius: alios aliunde, vt Petrum, vt Philippum, vt Nathanaëlem: quin è naui alios, & medio opere piſcationis: alios, ex ipſo telonio. Ita nunc, cùm in cælis regnat; alium è terris, alium ex aquis; alium è domo, alium ex agro & via; alium è pace, alium è bello euocat; & ibi Tribunal ponit, vbi aliquem inuenit; ſiue in conclaui, ſiue in platea, ſiue in pago, ſiue in vrbe; ſiue domi, ſiue foris, ſiue ſanum, ſiue ægrotum inueniat; ſiue ferro, ſiue plumbo traiectum; ſiue diluuio, ſiue incendio inuolutum; ſiue ruina domus, ſiue ſcalarum inſidijs attritum. Vbique prætorium eſt Dei. Qui limitatum habent dominium, illi non poſſunt Iuriſdictionem vbique exercere; Nullus Parochus in aliena Parochia ſacramenta adminiſtrare, neque Epiſcopus in aliena diœceſi: nec princeps ſæcularis in territorio alterius principis imperare. At Deus vbique eſt Dominus, vbique ergo Iudicium inſtituere poteſt. Si Mors mittitur, illud ſemper vſurpat:

AD IVDICIVM EVOCAT.
Io. 1. 39.

Tros Rutulusúe fuat, nullo diſcrimine habebo.

Audiuimus, nautam fuiſſe quempiam, cui narranti, patrem, auum, proauum, omnes

nauticam exercuisse, omnes aquis suffocatos esse, naui fracta, dixerit alter, pater, auus, proauus tuus naui perierunt, & tu adhuc te naui committis? an non itidem metuis, te naui periturum? Vertit sermonem illicò nauta, & quæsiuit, vbinam pater eius esset defunctus? Respondit alter: In lecto defunctum esse. Mox nauta. Vbi auus, inquit, tuus defunctus est? Respondit, itidem, in lecto. Addit, vbi defunctus proauus? Respondit, omnes in lecto esse defunctos. Intulit ergo Nauta: Pater tuus, auus tuus, proauus tuus in lecto defuncti sunt, & tu adhuc audes intrare in lectum? Volebat scilicet significare, siue in Ponto, siue in cubiculo, siue in nauigio, siue in lecto, vbique Morti Iudicioque locum esse. Quidam, cùm magistratum metuunt, in templo asylum quærunt, vt *Adonias timens Salomonem surrexit & abijt, tenuitq; cornu altaris.* Sed sicut illum Salomon etiam inde iussit educi, ita iubet Deus etiam ex ipsis templis quosdam ad iudicium suum vocari. Imò in ipsis templis eos iudicat, quod hæretico illi Comiti contigit, qui prædiũ Ecclesiæ S. Andreæ ciuitatis Agathensis in Gallia iniustè vsurpans, à Leone Episcopo frustra moni-

3. Reg. 1. 50:

S. Gregor. Turon. de

monitus, etiam intentatas à Deo pœnas contempſit: lapſus in morbum grauem, reſtitutionem promiſit, ſi Epiſcopus oratione ſibi ſanitatem reſtitueret. Reſtituta eſt ſanitas, prædium autem non eſt reſtitutum. Quin & negauit Comes ſe Epiſcopi precibus ſanatum. Epiſcopus ergo ad Deum confugit, & inter preces ac lachrymas zelo diuino accenſus omnes Eccleſiæ illius lampades extinxit, cum dicto: Non accendetur lumen in hac Eccleſia, donec Deus ſuis ex hoſtibus ſumat vindictam. Comes ergo mox lethaliter decumbens, pœnam agnouit, reſtitutionem promiſit, ſed tertio miſſo nuntio non impetrauit, vt Epiſcopus veniret. Curauit ergo, vt ad eum portaretur. Ibi Epiſcopum ipſe rogauit, vt ſui miſereretur parati duplum reddere Eccleſiæ, pro eo, quod abſtulerat. Denique eum ſubire templum coëgit. Sed ſimul ac Epiſcopus templum ſubiuit, Comes expirauit, vtique ſub ipſo limine eius loci, in quo alij ſalutem adipiſcuntur. Vbi quis ſecurus erit, ſi in templo non eſt?

gloria martyr. cap. 79.

VIII. MEMORIA IVDICII PARTICV-

Ex hac meditatione vtiliſſima exiſtunt documenta. Cùm enim non ſolùm tempus, ſed locus etiam Iudicij mei ſit incertus, numquam

LARIS IN CVBICVLO HABENDA DOMI.

quam & nuſquam debeo eſſe ſecurus. In carcere ſententiam Iudicis expectans, contremiſcit quocumque ianuam pulſante: putat enim eum adeſſe, qui ſententiam mortis ſit dicturus. Miles arbori infelici ſuſpendendus, cùm per ſiluam ducitur, omnem arborem formidat. Igitur cùm & ego nec tempus, nec locum Iudicij mei ſciam, omne debeo & tempus, & locum habere ſuſpectum; vbique paratus eſſe ad vadimonium obeundum. Quia verò in cubiculo & lecto quàm plurimi moriuntur, iudicij ſui quiſq; debet memoriam reuocare, quiſquis cubiculum ſuum intrat, aut lectum aſpicit. Illic enim Tribunal Dei, in quo hinc Angelo bono, inde malo aſſiſtente fortaſſe adhuc hac nocte iudicabitur. Hoc ipſum D. Chryſoſtomus docet his verbis. *Poſt cœnam, quando dormitum eſtis decubituri, & nullo præſente multa quies & ſilentium, excita Iudicium tua conſcientiæ, ab ipſa rationes exige; & quæ interdiu mala cepiſti conſilia, dolos conſtruens, vel propinquum circumueniens, vel praua deſideria ſuſcipiens, ea cùm in illius quietis tempore, in medium adduxeris, & improbis illis cogitationibus conſcientiam iudicem dederis, eas fodica, & dilania, & de eis pœnam ſume; occide*

S.Chryſ. hom. in Pſal. 4.

cogitatio-

gitationem, quæ peccauit. Hæc fiant singulis diebus, nec priùs dormieris, ô homo, quàm mente versaueris, quæ à te interdiu perperã acta sunt: & die sequenti eris omnino tardior ad ea ipsa rursus aggredienda. Et quod facis in pecunia, nec sinis, vt duo dies prætereant, quin cum famulo rationem ineas, ne confusionem inducat obliuio, hoc etiam fac in actionibus, singulis diebus vesperi ab anima rationem exige, & cogitationem, quæ peccauit, condemna: eam velut in ligno suspende, & torque, & iube, ne ampliùs ea aggrediatur. Ne tantum itaque bonum neglexerimus. Qui hoc enim hîc Iudicium statuerit, acerbas illas pœnas non dabit. En vt Iudicij recordatione se ipsum iudicans homo iudicium euadit. Quod maximè vtile est, si cubitum eat, recordari: tunc & enim & quies, & tenebræ, & solitudo, & appetitus immoderati maximè erumpunt, quare timore diuini iudicij carnes nostræ sunt configendæ. Sanè ingentem peccandi formidinem concipit, qui omni tempore & loco iudicium sibi instare credit. Cur pictũ Iudicium Dei in pariete suspendimus? vt moneamur. En vbique Iudicium Dei tibi potes imaginari.

Neque in cubili dumtaxat, aut lecto hæc IX.

cogi-

ITEM IN CAMPIS. Genes. 19. 26. cogitanda est; sed in omni omninò loco, in quo possumus repentè iudicari. In ipso campo, & inter ambulandum vxor Lot, eo loco, & momento temporis, quo contra Angeli mandatum Sodomam respexit, *in statuam salis conuersa est.* Core, Dathan, & Abiron, Hon quoque, *alijq́; filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ &c: egreßi stabant in introitu papilionum suorum, cum vxoribus, liberis, omniq́; frequentia. Et ecce dirupta est terra sub pedibus eorum: & operiens os suum deuorauit illos, cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntq́; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Quoties in Sicilia nunc contingit idem? An non in regno Neapolitano 20. pagi, cum habitatoribus suis repentè absorpti, eumdem & mortis, & Iudicij locum habuerunt? Cur non idem potest contingere nobis? An non, circa vltima tempora *erunt terræ motus, per loca?* heu quàm tum multos occupabunt imparatos? Ad cetera omnia solliciti sumus: id quod est maximè curandum, minimè curamus: nec secus agimus, ac si currus bouem trahat: vltima sunt, quæ prima esse oporteret.

Num. 16. 1.

Luc. 21.

X. Quæ igitur insania est, de die in diem, de

loco in locum differre pœnitentiam? Multi enim dicunt, in senectutẽ agam pœnitentiã: aut si ad Montem sanctum, vel Oettingam venero, tunc confitebor. Bonum est, in pijs locis velle exercere pietatem. Sed sæpe otium, sæpe occasio non est. Quid tu? an idcirco vlcus tuum interea non sines aperiri & sanari? Quæ stultitia hæc? Quis venenum hausit, & differt antidotum? Quis lethali vulnere sauciatus, non statim adhibet chirurgum? Quis vltimo supplicio afficiendus, tunc demum patrocinia quærit, cùm fracto Iudex bacillo, sententiam iam tulit? Quis in obsessa arce, scit cuniculos agi, & dormit? Quis furem audit seras refringentem, & non euigilat? Quis hostem potest vincere, & expectat, donec vires acquirat, & ipse vincat? Quis naufragium passus, tunc primùm tabulam circumspicit, cùm iam plenus aquis mergitur? Quis tunc demùm è domo vult se proripere, cùm iam incendio dominante omnia flammis occupãtur? Quis tum demum vult pestiferum locum fugere, cùm peste iam correptus est? An nõ in his omnibus præuenimus malum, siue veneno, siue vulnere, siue alio modo periclitemur? Cur ergo non omni tem-

NON DIFFERENDA POENITENTIA, SED IVDICIVM PRAEVENIENDVM.

pore, & loco de perpetratis peccatis pœnitentiam agimus? Cur in hoc & illo loco, putamus nos esse immunes à morte, à iudicio omnia videntis? Quem, putas, meliùs staturum in tremendo illo iudicio; eum, qui semper egit pœnitentiam, qui nusquam se credidit tutum; an qui sibi vbique promisit securitatem? Iam ergo antidotũ, chirurgum, patronum, asylum quære; serò quæris, postquam perijsti. Epicureorũ vox est, & regula volentium perire:

Lucret. lib. 3.

Et metus ille foras praeceps Acherontis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat, ab imo
Omnia suffundens mortis nigrore, nec vllam
Esse voluptatem liquidã, puramq́; relinquit.

CAPVT XI.

An Sancti, & adeò ipse Christus Iudex, ad vnumquemq; moriturum descendant, vt eum iudicent? Et alia de Christi Iudiciaria potestate.

1. Sanctos ordinaris ad

NVnc altera etiam quæstio à nobis proposita, est dissoluenda. Et quidem si de extraordinarijs iudicijs

dicijs ad exemplum, aut peculiare auxilium nostrum, aut gloriam sancti alicuius Patroni agatur, credibile est, nonnumquam Sanctos aliquos è cælo descendere, vt iudicium vel vrgeant, vel sistant, sicut in suprà memoratis vidimus historijs. Nam & S. Mauritius, & S. Mercurius ita leguntur descendisse; & ipsa fertur Dei augustissima Parens sic judicijs quibusdam interfuisse. At lege Dei ordinaria, præter Deũ omnipræsentem, & bonum Angelum, qui animam comitatur; & malum, qui calumniatur, vix alius quisquam solet interesse. Neq; enim opus est tanto apparatu. Sufficit piè defuncto audire à solo Christo: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Fidelem fuisse, toti Mundo tunc constabit, cùm totus mundus iudicabitur. Interim sat felix est, si beatus est, aut de beatitudine certus. Quemadmodum sat miser est, qui à solo Deo audit: *Discede à me in ignem æternum:* non cupit hoc Mundo innotescere; nimis, suo tempore, innotescet. Nihil opus est ergo totius Curiæ cælestis consessu ad iudicandum recens defunctum. Illa igitur: *Iudicabunt sancti nationes:* Et: *Nescitis, quia sancti de hoc Mundo iudicabunt?* Item:

PARTICVLARE HOMINVM IVDICIVM NON DESCENDERE, EXCEPTO ANGELO CVSTODE.

Matth. 25. 21.

Matth. 25. 41.

Sap. 3. 8.

1. Cor. 6. 3. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* de vniuersali Iudicio intelligenda sunt. Tunc enim qui in hoc Mundo contemptissimi iacuêre, Mundum iudicabunt, sententiam non proferentes, sed approbantes, vt videat Mundus, quos aliquando habuerit in deri-
1. Reg. 2. 8. sum. Ita Deus *de stercore eleuat pauperes, vt solium gloriæ teneant.* Ita scabella pedum, vertet in tribunalia magnatum. Quod sanè etiã in priuato cuiusq; iudicio facere potest, non solet. Petimus sanè quotidie à Deipara: *Ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ:* item: *Tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe:* petimus, inquam, ita, nec frustra petimus. Non est tamen necesse, vt Dei Mater ad nos morientes suscipiendos corpore de cælo descendat; sufficit, si prece descendat, & pro nobis Filium suum in cælo oret; gratiamque obtineat piè moriendi, & iudicium feliciter sustinendi. Nouit illa, nôrunt Sancti in cælis, ea quæ geruntur in terris: quia illum vident, in quo vident, quidquid ad eos pertinet videre.

II. Christvm in particvlari ivdi- Quis igitur in particulari cuiusque iudicio est Iudex? Ioannes Baptista non solicitus de sententia Herodis, non de suis vinculis, non de morte, quam subiturus erat, è

carcere

carcere misit ad Christum interrogarique eum iussit: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Ita DD. interrogant de Iudice; An scilicet Christus sit ille, qui in cuiusque morte venturus est, tamquam Iudex, vt animam defuncti cælo, vel Orco, vel Purgatorio transcribat? Christum Iudicem esse multæ testantur Scripturæ. *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.* Et Dauid: *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuã filio regis*, quam D. Bernardus ait de Christo esse prophetiam. Daniel, *Antiquus*, inquit, *dierum sedit, & filius hominis peruenit vsq; ad antiquum dierum, & dedit illi potestatem, & honorem regium.* Idem Simeon indigitat illis verbis: *Hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel.* Quo loco, *Ecce*, inquit D. Ambrosius, *& Simeon prophetat, in ruinam, & resurrectionem plurimorum venisse Dominum IESVM Christum, vt iustorum, iniquorumq; merita discernat, & pro nostrorum qualitate factorum Iudex verus & iustus, aut supplicia decernat, aut præmia.* Idem significauit Io. Baptista dicens: *Cuius ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreũ,*

DICIO IVDICEM ESSE.
Matth. 11. 3.
1. Reg. 2. 10.
Psal. 71. 1.
S. Bern. serm. 73. in Cant.
Dan. 7.
Luc. 2.
D. Ambr. lib. 2. in Luc.
Matth. 3.

paleas autem comburet igni inextinguibili. Quin ipſe Chriſtus ait: *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* Si omne, ergo & priuatum, & publicum. Ac rurſum: *Et poteſtatem dedit ei Iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* Quid amplius? *Data eſt mihi omnis poteſtas,* inquit, *in cælo & in terra.* Intelligitur ergo & poteſtas data etiam in eos, qui ſtatim in ipſo mortis articulo iudicantur. Cur enim in omnes, & non in ſingulos? omnes & ſingulos redemit, quare omnes, & ſingulos examinabit, quo pacto redemptione ſua vſi, vel abuſi ſint? Ita ſanè eſt. Sed vt clarè omnia dicantur; aio, Chriſto datam eſſe *omnem poteſtatem, & omne iudicium;* Chriſtumque hominem eſſe iudicem viuorum & mortuorum, tum in generali iudicio, de quo pleræque Scripturæ citatæ loquuntur; tum etiam in particulari ſingulorum, qui nunc moriuntur. Quia verò etiam ante Chriſti Incarnationẽ iudicium Particulare non ſolùm in Angelos Apoſtatas, ſed etiam in homines exercebatur, quis non videt, Deum trinum id iudicium exercuiſſe, adeoque & ſecundam in Trinitate perſonam? Tres enim Perſonæ, vnus ſunt Dominus, non tres Domini. At

Ioan. 5. 22.

Domi-

Domini est subditos suos iudicare. Adde, quòd opera SS. Trinitatis ad extra sint indiuisa, vt Scholæ loquuntur. Ergo etiam tunc Christus, quà Deus, non tamen quà homo, homines iudicauit; nondum enim erat Verbum incarnatum. In extremo autem Iudicio, etiam quà homo, Christus, authoritate Patris communicata, Mundum est iudicaturus, quod & nunc facit in Iudicio cuiusque particulari. Par quippe est, vt is hominem iudicet, qui hominem redemit: & ei cælum largiatur, qui sanguine illius ablutus est; illum autem ad Tartara mittat, qui contempsit eius vulnera, & sanguinem conculcauit.

Quod si quis scire vult, quando, aut quomodo hæc iudicandi potestas Christo sit data, aut quando eam cœperit exercere? Aio inprimis, potestatem hanc secundùm se, ac substantiam suam, non contigisse Christo per proprium ipsius meritum, cùm fuerit ei connaturalis, & naturâ quoque prior, quàm meritum. Quia enim Deus fuit, iuxta naturam ipsi competebat ius iudicandi antè, quàm homo fieret. Antè quàm autem homo fiebat, mereri nihil poterat. Ait tamen nihilominus: *Data est mihi omnis potestas*,

III. AN CHRISTVS, ET QVOMODO MERVERIT HANC IVDICANDI POTESTATEM?

Matth. vlt. 18.

in cælo, & in terra; data quidem cum diuinitate, non per proprium meritum; non tamen ſine merito ipſius continuata, poſſeſſa, vſurpata, manifeſtata. Nam ita intelliguntur illa verba, *data eſt mihi omnis poteſtas*, quoad perpetuitatem ſcilicet, vel vſum & poſſeſſionem actualem ſtatumque ſupremi Iudicis; vel etiam quia manifeſtatione ipſa conſtabit, talem penes me eſſe poteſtatem.

IV. Io. 12. 47. QVOS, AVT QVOMODO CHRISTVS NON IVDICET?

Cur igitur ait: *Si quis audierit verba mea, & non cuſtodierit; ego non iudico eum: non enim veni vt iudicem Mundum, ſed vt ſaluificem Mundum?* Item cur ait: *Qui non credit, iam iudicatus eſt?* His talibus locis non negat Chriſtus iudiciariam ſibi traditam eſſe poteſtatem, ſed indicat dumtaxat, ſe nullius cauſſam eſſe condemnationis, vnumquemque enim ab ipſo ſermone ſuo iudicari, quem non cuſtodit. Subdit enim. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum.* Quis eſt ille iudex, *qui iudicet eum?* Reſpondet: *Sermo, quem locutus ſum, ille iudicabit eum, in nouiſſimo die.* Itaque etſi ipſe Chriſtus iudicaturus non eſſet eos, qui ſermonem Chriſti non ſeruant, ſed violant, ipſe tamen violatus ſermo iam eos reos oſtenderet, & tacita quadam ſententia damnaret.

Io. 12. 47.

naret. Nemo igitur damnationem suam Christo debet ascribere, sed sibimetipsi, sermonem Christi violanti. Quin ipse sermo Christi, qui regula est verum cognoscendi, non tam damnat, quàm damnandum monstrat; ostendit enim, non facit præuaricatorem. At ait Christus de Filio Dei: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Vnigenti Fily Dei.* Neque hîc negat, sibi datam iudicandi potestatem; sed tantùm declarat, talem, qui credit in se, non habere caussam damnationis aliquando ferendæ: qui autem non credit, iam priùs damnatum esse sententia ipsius sermonis, quem non credit, & damnationis aliquando ferendæ iam in se caussam habere. Quo sensu etiam capi debet illud: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, id est, mortis in te caussam habebis.

Ioan. 3. 18.

Gen. 3. 17.

V.

Io. Lorin. in Act. c. 10. v. 42.

QVANDO CHRISTVS COEPERIT IVDICARE.

At quandonam cœpit Christus hanc iudicandi potestatem exercere? Respondent authores, eum hac potestate vti cœpisse, post Resurrectionem: ex eo tempore igitur dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*: tunc enim cœpit esse in statu regnantis ac dominantis; immo & animam ipsius

Matth. vlt. 18.

ſeparatam iam inchoaſſe exercitium iudiciariæ poteſtatis. Nam anima illius ad Inferos deſcendens cacodæmonis ligauit furorem, frænauit poteſtatem, contudit vim, Patres è limbo eduxit, Infernum ſpoliauit, atque vt non pauci exiſtimant, etiam animas plurimas è Purgatorio extraxit; quin & iudicium tulit de ijs, quæ tantiſper dum ibi fuit, è corporibus migrauerunt. Plenè tamen, vt homo, nec iam anima, ſed animatus iudicare cœpit primùm poſt Reſurrectionem. Ante Reſurrectionem, cùm adhuc paſſibilis & mortalis viueret, noluit eâ poteſtate vti: vſque adeò, vt etiam detrectaret iudicium inter litigantes. Nam cùm
Luc.12.14. quidam ita eum alloqueretur: *Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, reſpondit: *Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos?* Quin & Deus ex ſin-
Ioan.3.16. gulari amore erga mundum, dederat *vnigenitum Filium ſuum, vt qui crederet in eum, non periret, ſed haberet vitam æternam*, & vt S. Chryſoſtomus & Euthymius loquuntur, velut prohibuerat Filio ſuo, ne quemquam primo illo aduentu iudicaret. Hinc ipſe ne-
Io.12.47. gauit, ſe veniſſe, *vt iudicaret, ſed vt ſaluificaret*: quin nec ad hoc ſe à Deo miſſum dixit.
Ioan.3.17.

Venit enim in primo aduentu vt Saluator, in secundo veniet, vt Iudex. Quare etsi potestas illi fuit, non tamen, quà homo, voluit tunc iudicare, præsertim vt damnaret, vel puniret, quod subinde significat *iudicandi* verbum. A tempore autem Resurrectionis quisquis moritur, à Christo iudicatur; sic enim voluit Deus Pater eum honorificare, vt quodammodo omne à se iudicium in Filium videatur transtulisse. *Neq; enim Pater iudicat quemquã, sed omne Iudicium* (non vniuersale tantùm, sed etiam particulare) *dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* 1. Cor. 11. 32. Hebr. 13. 4 Ioan. 5. 22.

VI. AN CHRISTVS MORITVRIS IN CRVCE APPAREAT?

Vbi ergo vnumquemq; iudicat Christus è vita hac discedentem? Respondi iam suprà, ibi, vbi moritur. Non enim anima in cælum conscendit, vt ibi iudicetur, & inde, altiore lapsu, si damnanda est, præcipitetur in Acherontem. Quid ergo? An Christus de cælo debet descendere ad singulorum cubilia & lectos, sententiam laturus, vel in medio aëre ac nube sibi tribunal, supra tectum morientis, construit? Innocentius III. & Ludolphus videntur id astruere, quasi Christus ad singulos descendat. Immò Innocentius affirmat, Christum in for- Innocentius III. l. 2. c. vlt. de contemptu Mundi.

ma crucifixi apparere omnibus morientibus tam bonis, quàm malis. Quod si ita esset, sanè luculenta & probis consolatio, & improbis exprobratio accederet: illi siquidem spem suam intuerentur, authorem fidei aspicientes; isti ex eorum se censu esse cogno-
Io.19.37. scerent, de quibus dicitur: *Videbunt, in quem transfixerunt.* Sed neque bonis id necesse est, cùm Christum per se cruci affixum fide satis assueuerint intueri; & vel imaginem eius sufficiat ante oculos habere: neque necesse est malis; quibus conscientia sua satis dictat, quòd Christum peccatis suis iterum ac toties crucifigentes exacerbârint. In vltimo Iudicio, quando Christus vulnera sua est exhibiturus, tunc impij *videbunt in quem transfixerunt.* In cruce etiam tribunal est non tam iudicantis, quàm iudicium iniquè passi. Itaque non in cruce pendentis forma iudicat singulos Christus, licet quibusdam sic ad spem vel ad terrorē appareat aliquando morituris. Sed quod extra ordinem facit, in legem ordinariam, consuetudinemue non transit.

VII. Part. 5 c. 5. lib. vit. FF. Prædicatorum. Posset quis putare, descendere eum saltem in aërem, & inde sententiam in morte defunctos ferre. Nam in PP. Dominicano-rum

rum historia legimus, fuisse cuiusdam Ecclesiæ præsidem, aut præpositum, vt pecunijs, ita & luxuriantis vitæ vitijs plenum. Eum cùm sanare diuina bonitas vellet, voluit ægrotare. Inualuit morbus, & cum morbo timor mortis; quin & timor Iudicis. Vt igitur voluptati assuetus, futurę vitę cruciatus tanto impensiùs formidauit; ita faciliùs consilium cepit habitus cum moribus pristinis pariter mutandi. Indutus igitur monachum, Ordinem Prædicatorum profiteri orsus est. Orsus est inquam, nam quia prior mens illi in corijs erat, pulso morbo manus applicans ad aratrum citò retrò respexit. Quàm primùm enim cœpit redire sanitas, redijt & ipse ad pristinos mores, & statum, monachumq; nouus Triton exuit. Quasi, qui cibo aliquamdiu caruerunt, tantò postea auidiùs sese ingurgitant; ita ille, postquam aliquanto tempore vixit sine voluptate, tantò esurientiùs postea ad easdem recurrit. O verè Christum Pastorem simul ac Iudicem! errantem enim ouem quæsiuit, dum iudicauit. Iacebat miser ille, matutino tempore, somno ac vino sopitus, cùm Pastorné dicam, an Iudex ei visibili specie dignatus est apparere. Cur Pastor

MIRABILIS VISIO CHRISTI IVDICIS, ET PECCATORIS IN GRATIAM RECEPTI.

ſtor appareret, niſi vt ouem reduceret, aut humeris ſuſceptam in caulam reportaret? Cur iudex, niſi vt formidine impleret iudi-
Dan. 7. 9. candum? Si ergo eum Daniel vidit, tamquam Iudicem ſedentem in throno flammæ
Apoc. 20. 11. ignis; ſi Ioannes vidit *thronum magnum, candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit terra, & cælum*, quid hunc peccatorem tam nefarium vidiſſe par eſt? Vidit nimirum Chriſtum Dominum in aëre ſedentem, clarifica vtiq; nube pedibus ſubdita, atque in tribunalis modum per orbem circumducta. Vidit omnia ad ius dicendum apparata. Et, quod illum magis feriebat, vidit ſupra caput ſuum omnia flagitia ſua, velut in membrana ſcripta explicari. O triſtes tabulæ! Infra ſe autem quod vidit, maximè erat formidandum: nempe ipſum Acheruntem ſubtus ſe hiantem, atque ad ſe ſe recipiendum, immani rictu, diductum. Terrificus erat hic aſpectus, & quo vix aliud quidpiam magis metuendum putabatur poſſe occurrere. Verùm vbi ſurſum oculos reflexit, territuſque exclamauit, vidit irati Chriſti faciem ita ſibi terribilem, vt eum aſpectum ſibi intolerabiliorem, quàm ipſum Infernum arbitraretur. Quid mirum? ſi

ipſe

ipse Iob dixit: *Quis mihi hoc tribuat, vt in Inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Tam intolerabile est, videre iracundiam Dei iudicantis, vt protectionem censeat, tantisper in ipso Inferno abscondi; quòd sanè meritò ita existimat; cùm ira Numinis, quàm pœna stygis, longè vim habeat efficaciorem. Ad tam terribilem igitur & fulminantem Christi vultũ, trepidante illo, subibat quidã Dominicano habitu venerabilis, & haud dubiè D. Dominicus ipse, qui Iudicem in excelso sedentem sic compellabat: Quid, ô Domine, hoc homine iubes fieri? Audi Iudicem Pastorem, vtrumque enim egit, dum alterutrum iussit. Dixit enim Dominus compendiosa breuitate: *Aut luat in flammis, aut satisfaciat pro peccatis.* Audijt hæc peccator, & pariter è somno, & impietate sua euigilauit; neque aliquid prius habuit, quàm vt Lectori fratrum Martino, vberrimè flens peccata sua confessus, in Ordinem denuò admitti, habituque religioso protegi ab hoste Inferno postularet. Vix mensem totum in religione exegerat, cùm cõflictari morbo graui, & ad extrema deduci se sentiens vehementer angi turbarique animo, & pænè despe-

Iob.14.13

desperare cœpit. Nimirum tanta scelerum multitudo, tanta grauitas animo recursabat, neque inconstantiæ suæ immemor fuit; neq; tam breuis temporis, quo inter Religiosos diuinæ iustitiæ satisfacere voluisse potiùs; quàm potuisse videbatur. Sed adfuit illico, qui confitentem audire consueuerat. Is extremè debilitato, magnum robur attulit. Ne metue, inquit, frater, sed quauis anchora firmiorem tibi persuade esse diuinam misericordiam. Si adhuc inter apia versaris, si etiamnum tiro es, si messem magnam bonorum operum nondum messuisti; ecce ego de meo te locupletabo; ac ne parcus sim, quidquid boni vmquam in hoc vitæ statu feci, tibi dono, dummodo non despondeas animum. O quantum est, habere bonum nauclerum in magna tempestate! Qui maximis curarum fluctuabat vndis æger, his verbis animatus, & metum posuit, & gratias egit consolatori, & diuinis Sacramentis munitus beatè finiuit vitã. A morte enim eius, vidit illum Confessarius, mutatis sordidissimis vestibus, candidissimis indui; nec potuit omittere, quin rogaret, vt similes sibi, apud propitium Numen, vestes patrocinando impetraret.

Cui

Cui defunctus: Hæ, inquit, ô Pater charissime mihi & tibi sufficiunt, cùm data mihi à te bona tua non solùm non imminuisti, sed etiam charitatis fraternæ affectu auxisti, & inaurauisti. Placuit totam historiam commemorare, vt & inconstantes stimulum, & pœnitentes exemplum, & ij, qui opera sua alijs quàm liberalissimè impertiunt, grande haberent incitamentũ. Nihil quippe dando amittunt; sed præmium suum duplicant largiendo.

Quò autem tendebat oratio, est, Christum etiam nunc, & adeò ante vltimum suum Iudicium videri descendere in aërem, ad homines, recens defunctos iudicandos. Verùm, historia hæc Christi, in aëre tribunal statuentis, id non euincit. Non enim tunc tam Iudicium, quàm Iudicij terror huic Ecclesiæ Præposito & inconstanti Polypo intentabatur. Dein exempli extra ordinem facti nulla est præscriptio. Aio igitur, Christũ singulos è vita hac decedentes iudicare, non ita, quasi ad singulos vel in aërem, vel ad ipsa vsque cubilia descendat; sed in cælo existentem. Primò, quia de cælo, non nisi perrarò descendit; quòd si autem ipse coram esse vellet omnibus mortuis, oporteret

VIII. An Christus corpore praesens sit omnibus post mortem iudicandis.

Ita Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 4. Lorin. in c. 10. Act. v. 42. Cornel. de Lapid. in cap. 12. Zachar.

ret eum ferè perpetim moueri, aut etiam in pluribus locis simul esse; quod potest sanè, non necesse est tamen eum facere. Satis est id fieri in SS. Eucharistiæ Sacramento. Accedit secundò, quòd non necesse sit, Christum in forma humana (nedum in ea ipsa, quam discipulis exhibuit, cùm in cælum ascendit, quamque in cælo retinet, quamque etiam supremo Mundi die spectandam dabit) sententiam proferre, dum singulos peculiariter iudicat: sufficit id solùm diuina virtute facere. Atqui diuina virtus est vbique, vt non sit necesse eò venire. Immensa potentia, quidquid vult, vbique operatur.

IX. QVO MODO ANIMA AVDIAT SENTENTIAM CHRISTI IVDICANTIS?

Quid ergo? num anima defuncti Iudicem suum non videt, non audit? Videt reuera, & audit. Quo pacto fieri hoc potest, anima in terris, Christo in astris existente? Fieri potest, & clarum erit errorem deponentibus. Error enim est maximus, si quis putet, animam aures, aut oculos corporeos habere. Tunc enim planè & forma humana Christi, & præsentia corporis eius opus esset, ad eum videndum audiendumque. At animæ, quemadmodum & Angelis, neque oculi corporei sunt, neque corporeæ aures.

Videt itaque, auditque alio modo; eo scilicet quo Angeli, hoc est, per vim intelligendi. Quemadmodum igitur Angeli ad se inuicem loquuntur, & sese mutuò audiunt, etsi præsentes sibi non sint, sed vnus in cælo, alter in terris existat (satis est loquenti, velle intelligi ab audiente) ita Christus spirituali quadam locutione, dum ipse in cælo empyreo existit, animæ in terris versanti loquitur, mentali nimirum quodã sermone, intimatque ei decretoriam aut vitæ, aut mortis sententiam, dum illi clarissimè illuminatæ omnia sua facta, dicta, cogitata reuelat. Reuelatio autem, aut talis intellectualis locutio à loco non pendet; vt vel nostræ cognitionis experientia possumus aliquo modo declarare. Siquidem etiam in hoc mortali corpore anima cognoscit, cogitatq; ea, quæ longè sunt remotissima, dum ex Europa, ad Sinas vsque transilit meditando. Quanta maria inter nos, & Iaponem interiacent? animo tamen cernimus ea, quæ in Iaponia existunt. Multò plus potest spiritus à corpore liber, & lumine diuina vi suppeditato. Intellectu itaque anima videt auditque Iudicem suum Christum, cognoscitque se iudicari, non tantùm

Dei, ſed Chriſti quoque hominis imperio & efficacia, iudicantis, quo præmio, aut pœna ſit digna, iuxta legem æternam Dei, & menſuram ab eo conſtitutam, atq; idipſum pro ſua voluntate ac poteſtate pronuntiantis, & cum effectu imperantis.

X. An sententiam hanc per Angelos ferat Christus?

Talis eſt Iudex, qui non ſolùm in nouiſſimo Mundi die, ſed etiam in morte vniuſcuiuſque ſententiam fert; quam etſi non nulli putent, non immediatè ab ipſo Chriſto, ſed per Angelos ſolùm manifeſtari, longè tamen veroſimilius eſt, manifeſtari ab ipſo Chriſto. Fateor, magnam vim Deus Angelis conceſſit, multa per illos operatur. Per Angelos ſidera circumducit, diluuia inducit, ſulphure miſtos imbres producit; maria & flumina diuidit; vrbes euertit; exercitus totos interimit. Per Angelos omni ſæculo mira patrauit; percuſſit Ægyptios, fugauit dæmones, ſanauit cæcos, diuiſit impios, bona & mala præſtitit; per Angelos voluntatem ſuam ipſi Dei Matri annunciauit; at per Angelos neminem vnum iudicat. Potuiſſet ſanè etiam per Angelos ſua iuſtis præmia, impijs ſupplicia decernere, aut promulgare, ſed ſummam hanc iudiciariam poteſtatem ſoli Filio ſuo reſeruauit. Sæpe aliàs

aliàs Angeli personam Dei sustinuerunt, iudices tamen hominum numquam fuerunt. Est hoc *Ius Altum*, soli debetur Regi regum, & Domino dominantium.

XI. Psal. 64. 2. Cvr Christvs hanc ivdiciariam potestatem acceperit?

Et cur debetur? Quia Deus est, *ad quem omnis caro veniet*. Quia Deus deorum est, qui ipsos Angelos iudicauit. Quia Deus homo est. Hinc enim cælestis Pater *Potestatem dedit ei, etiam iudicium facere, quia filius hominis est*. Sic minùs ægrè ferre possunt, si homines ab homine judicantur. Quia humiliauit semetipsum, ideò sic exaltari debuit. Idcirco enim exaltauit eum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Idcirco enim teste Augustino, *sedebit index, quia stetit sub Iudice*. Sic exaltari meruit, captus, ligatus, accusatus, damnatus, innocens dirissimè trucidatus à Prætore iniquissimo æquissimus Iesvs. Sic humilitas meruit exaltari; vt qui infra omnes se demiserat, supra omnes emineret.

S. August. serm. 64. de Verb. Dom. c. 7.

XII. Qvam potens et perspicax ivdex sit Christvs?

Duo hinc discite, mortales, timere & diligere Iudicem vestrum. Apud Ciceronem olim, & alios patronos, quin & ipsos reos, prima quæstio fuit, quis Iudicem acturus esset? Totum salutis punctum in odio, aut amicitia Iudicis supremi consistit. Si

merus homo, si Sanctus aliquis, si Angelus nos iudicaturus esset, locum haberemus appellandi. Iam summus est Iudex, iam ipse est Deus, à quo quis appellabit, aut ad quem appellabit? Summa in eo est poten-
Iob. 12. 11. tia, *in cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis. Quia omnia dedit ei*
Matt. 28. 18. *Pater in manus.* Quis ergo poterit sententiæ illius resistere? Summa in eo est æquitas, nemo poterit, de seueritate conqueri; Summa constantia, nemo poterit pœnam deprecari. Sententia enim illius erit definitiua & irreuocabilis. Itaque cùm omnia, quæ in hoc Iudicio adferentur, primo statim aspectu sint futura manifestissima, superuacanea erit appellatio ad reuisionem. Summa itidem est in hoc Iudice sapientia, vt non possit falli in iudicando. Quin ipsa est infinita sapientia Patris, omnium actionum nostrarum testis, omnium verborum ponderator, omnium cognitionum arbiter, qui ipsum cor intuetur. Pronuntiauit Salomon miram inter duas litigantes mulieres sen-
3. Reg. 3. 28. tentiam. *Audiuit itaq; omnis Israel iudicium, quod iudicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.* Plusquam Salomon est IESVS, quis

cum

eum Iudicem decipiet? quis non formidet? *Non dicas*, ait Ecclesiasticus; *à Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar*. Agnoscêris, & omnia peccata tua agnoscentur, oculos Christus habet nimis perspicaces, lynce acutiores, sole ipso clariores. Timete igitur, & contremiscite: res seria est; non est hic Connæ calculus: acre iudicium, non foliũ ficulneum. Eccli. 16. 16.

XIIII. QVAM DIVERSVS AB EO, QVI IVDICATVS EST? Eccli. 7. 6.

Adeste ergo Principes, Reges, Imperatores, Summates, hic summus est iudex Principum, Regum, Imperatorum. Est Iudicis, perrumpere iniquitates, & faciem potentis non extimescere. Nullum hic Iudex extimescit, nullas minas, nulla arma curat; omnem potentiam potentia superat. Adeste, diuites; hic æquissimus est Iudex opulentorum. Non sinit se corrumpi vestro auro. Si in vita salutem, per eleemosynas, quæsiuistis, vestrum est cælum; si sacculos argento plenos retinuistis, nihil iam vobis prosunt: iustitia huic Iudici non est vænalis. Per vitæ portam virtutes intrant, non opes. Vendi se permisit hic Iudex, cùm olim permisit iudicari; nunc emi non sinit, cùm decreuit Iudex esse. Mater illi in cunis manus

fascia ligauit; nemo nunc in cælo illas pecuniâ ligabit. Ferrum illi manus fixit, cùm tamquam reus in crucem ageretur; nunc aurum nullum illas impediet, quando reos ipse plectet. Vno verbo: *Ille, qui stetit ante Iudicem; ille qui alapas accepit; ille qui flagellatus est; ille qui conspututus est; ille qui spinis coronatus est; ille qui colaphis cæsus est; ille qui ligno suspensus est; ille, cui pendenti in ligno insultatum est; ille qui in cruce mortuus est; ille qui lancea percussus est; ille qui sepultus est; ille ipse omnium hominum Iudex est*, ait S. Augustinus. Væ qui illum iudicarunt iniquè; qui alapis ceciderunt, qui flagellis lacerarunt; qui sputis contaminarunt; qui spinis coronarunt; qui colaphis ceciderunt; qui in crucem sustulerunt; qui pendenti insultarunt, neque mortuo pepercerunt. Non feci hoc, inquies? At quidquid vni ex minimis illius facis, ipsi facis. Adeste ergo, potentes, violenti, irrisores, percussores, deceptores, diuitiarum iactatores, *ostendam vobis, quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennã. Ita dico vobis hunc timete.*

S. August. in Ps. 96.

Luc. 12. 5.

XIV. Iudex ante iudi-

Immò amate, vt non sit opus timere. Neque enim timetur, qui speratur. Nonnè natura

natura ipsa docet nos, vt iudicem nobis propitium faciamus? Facimus autem hunc propitium, si amicum. *Amans amantem non seuerè iudicat.* Magnâ igitur fiduciâ Christum Iudicem videbunt, qui Christum ardentissima charitate complexi vbique prædicauerunt, laudauerunt, honorauerunt. Qui id non fecerunt, ijs dicet: *Quid est, quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* vt proinde meritò amari possem. Non sum amatus, & diu frustra expectaui, vt amarer. Niniuitis tantùm quadraginta dies dedi ad resipiscendum, & resipuerunt. Tibi, ô homo, dedi quadraginta, aut etiam plures annos, & pœnitentiam non egisti. Frustra semper expectaui. Quia igitur tu non venisti ad me, *Ecce ego venio*, sed venio sicut meruisti. Alexandro in Persas expeditionem parante, Orphei statua, in Pieria, continuò sudauit. Varia fuit vatum, de hoc prodigio sententia. Alij Poëtarum, in laudes Alexandri, laborem, alij formidinem portendi dixêre. Christo expeditionem parante ad iudicium, meritò & boni sudant, & mali: Boni, vt ei occurrant cum iubilo; mali cum vlulatu. Quin vtrisque anxium sudorem expelli recordatione diuini iudicij, ob caussas, quæ ibi

CIVM CONCILIANDVS.

Isa. 5. 4.

Arrian. de Expedit. Alexand.

ibi ventilabuntur, è seqq. capitibus intelligetur.

XV. QVOMODO VNGENDVS HIC IVDEX. Gasp. Ens. lib. 2. Epidorp. pag. 212.

Nunc id agendum, vt artem aliquam excogitemus, qua Iudicem hunc, non corrumpamus, (quando nec auro se corrumpi sinit, nec verborum lenocinante artificio) sed amicum habeamus. *Non minùs verè, quàm eleganter quidam ait, Qui negotia sua feliciter expedire velit, ei iudicis manus vngendas esse, quod quidem vnguentum tantæ virtutis est, vt & cuicumque caussæ apud Aduocatos alium colorem, & apud Iudicem ipsi quoque Iustitiæ alium habitum conciliet. At vnguentum hoc non ex oleo, sed ex auro & argento confici debet. Mysterium hoc non intelligens mulier quædam, cui nescio quæ causa apud Iudicem erat, monita à vicino, vt si quid impetrare vellet, iudici manus vngeret, lecythum oleo plenum secum detulit, & ad Iudicem accedens, manus ipsi perungere cœpit. Mulieris simplicitatem & ipsius actionis mysterium intelligens Iudex, satis, inquit, huius vnctionis est: at iam ad extergendas manus vlnis aliquot panni opus sit, quas cùm postea mulier ad Iudicem tulisset, & quod petierat obtinuisset, vnctionis nullam, sed detersionis magnam vim esse prædicanit.* Apud alios tamen, & fortasse apud

eumdem

eumdem quoque, alij experti sunt, & vnctionis, & detersionis magnam vim esse. Quid audeo dicere? Deus homo factus est: aliquid humani igitur patietur. Vngamus illum, sed dum possumus, dum adhuc viuimus; à mortuis neque vult vngi, neque tergi. Quo modo vngemus? quo modo tergemus? Quo eum Magdalena, quo tres Mariæ, quo Nicodemus, quo Iosephus vnxit, & quo tum Berenice, tum eædem numeratæ Mariæ eum terserunt, modo. At non est ampliùs in terris? est in pauperibus suis: illi sunt illius manus, & pedes. Hos pedes lauemus, curemus, vngamus. Has manus fas est etiam auro vngere atque argento. Sic amicos faciemus de mammona iniquitatis. Quæ omnia libenter præstabimus, si Deum diligamus. Qui enim caput diligit, diligit & membra capitis. Certè infinita eius bonitas dignissima est, vt ab omnibus semper creaturis summè ametur; vsque adeò, vt si infinitum bonum infinito amore possent diligere, infinitum amorem in eum effundere deberent. Illud bonum est Deus, & tam magna in eo bonitas, vt quisquis eam clarè intuetur, necessariò summa contentione aut intensione possibili il-

lam

lam amet, sicut beati in cælo faciunt. At qui perfectus amor foras expellit timorem. Amemus igitur hunc Iudicem, & in se, & membris suis, vt non timeamus. Quæ insania est, & quàm detestandum scelus, infinitam hanc bonitatem non amare, immo floccifacere, execrari, infinito amore dignam odisse; infinita potentia & iustitia armatam offendere, vt timere cogaris, quem amare debuisses? Denique quæ dementia, nec timere quidem, postquam tantam maiestatem offendisti?

CAPVT XII.

Cur etiam ipsis Sanctis Iudicium hoc Dei formidabile extiterit? præsertim Iobo, Dauidi, Paulo?

I. CVR IOB DEI IVDICIVM TIMVERIT?

IVdicium particulare, Christi sanè omnibus mortalibus metuendi auctoritate, fit terribile; sed impijs præcipuè, qui conscij, se, quod damnaretur, perpetrauisse: Iusti non tam Iudicem, quàm remuneratorem eum habituri, sperant potiùs, quàm formidant. Est enim ille dies messis, est præmij, est coronæ. Id igitur, quod inprimis Iudicē ipsum nobis reddit timendum,

mendum, eſt vita mala, & opera peruerſa; ſiue vniuerſim ea, de quibus ratio à nobis exigetur. *Sicut enim homo peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* &c. *Poſt multum verò temporis venit dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationẽ cum eis*: nec cum malo tantùm & nequam, ſed cum bonis etiam; ita & boni & mali habent, quod metuant, cùm in fine vitæ rationem ab eis exiget Deus. Vix enim quiſquã tam bonus eſt, quin aliquando nutet. Ipſe Iob ait: *Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti.* Quàm multa præclara opera Iob feciſſe legitur? Ille fuit pater pauperum: ille eleemoſynas largiſſimè profundebat: ille iudicium nullius ſubterfugiebat; ille pro liberis conuiuantibus ſacrificabat; ille vir ſimplex & rectus, & timens Deum; in proſperis modeſtus; fortis in afflictione, patientiæ exemplum, omnium ſæculorum ſpectaculum; & tamen ait: *Verebar omnia opera mea.* Flagitia nulla admiſerat; quid ergo verebatur? ipſa ſua opera bona: ſciebat enim quòd Deus iuſtitias iudicet; examinetque omnium actionum fines, modum, circumſtantias, in quibus facilè offenditur, ac loui mutatione de virtute ad vitia tranſitur,

Matth. 25. 14.

Iob. 9. 28.

tur. Bonum opus ex fine malo, fit malum; finis bonus est, modus aut circumstantia malum facere potest. Quid melius, quàm dare eleemosynam? dabant Pharisæi, sed malo modo, malo fine, & in loco inconuenienti. Nam tubis ante se cani iubebant; & in angulis platearum dabant, & dabant vt ab hominibus viderentur. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*: ait Christus. Subrepit ergo facilè vitium, & virtutem contaminat. Hinc ait Iob: *Verebar omnia opera mea*, etsi ex natura sua bona, extrinseco tamen fortasse fine, aut modo contaminata. Quin & bono fine, bonaque mente, per mala media, opera contaminantur. Quid enim iuuat, si seruus, vt eleemosynam possit dare, domino suo pecunias furatur? aut alia, quæ in domo sunt? Si ergo *columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius* Iudicis, de quo egimus, quid putridis continget lignis?

Matth. 6. 16.

Iob. 25. 11.

II. QVAMOBREM REX DAVID IVDICIVM DEI FORMIDARIT?

Vultis plures Sanctos, qui Iudicem amauerant, sed iudicium timuerunt? Dauidem virum secundùm cor Dei, mitem, mansuetum; inimicorum grauissimis iniurijs ignoscentem, aliorum aduersis casibus indolentem, cælestia ardentissimè amantem audite:

A ine-

A iudicijs tuis timui, inquit. Quid ita? quia etsi adulterium & homicidium meum millies lachrymis, ieiunijs, cilicijs meis eluissem; etsi ea numquam commisissem; scio tamen rationem reddendam ad mensuram talentorum, quæ sunt distributa: & cui multum datum est, ab eo etiam multum iri requisitum. Dominus *vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum.* Contentus fuisset, si hic vno vnum lucratus esset, sicut contentus fuit eo, qui duo acceperat, & lucratus est alia duo. Ast ab eo, cui quinque talenta dederat, decem exegit; sic demum agnoscens eius fidelitatem. Nolite iam interrogare, ait Dauid, cur dixerim: *A iudicijs tuis timui.* Non tantùm timui adulterium meum, non solùm homicidij crimen; timui ab ipsis bonis meis operibus; *omnia opera mea verebar.* Nam nescio, quantis distractionibus orationes meas, quantumuis sanctas, quantumuis Spiritu sancto plenas, contaminarim; nescio, quibus tepididatibus Deo seruierim, quæ & quanta bona omiserim, & quod plus est, has ipsas ignorantias meas ignoro. Sed & si hæc omnia non essent; si mihi ipsi sanctus essem; aliud est, esse bonum hominem, aliud

Psal. 118. 120.

Matth. 25. 15.

bonum

bonum regem. Quantum talentum est regnum? quantum talentum pacis, quantum belli administratio? quantum talentum mihi à Spiritu sancto concessum est, in cognitione rerum diuinarum? quantum in tot diuitiarum possessione? Non reddam ergo tantùm rationem pro me, sed pro toto regno meo benè, vel malè gubernato; quidquid proceres, quidquid satrapæ delinquunt, mihi imputabitur; omnis iniquitas, omne crimen, omnia vitia meorum in me redundabunt. Hoc est esse regem. Si malè regat, regni calamitas erit illius damnatio. Hominem priuatum, vix vicinus accusabit; regem accusabunt, qui & vicini sunt, & remoti; pauperum inopia, opes auarorum; luxus virorum, feminarum superbia; negligentia magistratuum, iustitiæ euersio, oppressio pupillorum, viduarum clamor; cædes omnes, omnes rapinæ, omnes iniuriæ totius regni clamabunt: *Dormijssemus, si rex vigilasset.* Hæc & plura, quæ commemorare infinitum esset, in rationes veniunt vnius talenti cum regno mihi crediti. Vt proinde meritò dicam: *A iudicijs tuis timui.*

III. QVID OB

Quid enumerem pacis & belli momenta? Quid si ego caussa Deo fui, pacis in regno meo

meo perturbandæ? Facta enim impia hominum, bellis plectuntur. Quid si meâ culpâ nimis sæuitum est in bello? quid si exactiones meæ Deo non placuerunt? quid si militibus necessaria non prospexi, & necessitatem inieci rapiendi, populandi, grassandi? Denique quid mali secum non affert Mars & bellum minimè bellum? An non tandem omnia Regi ascribuntur? ô Deus, ob hæc talia, *à iudicijs tuis timui.* Iam diuitias quantas possideo? Vnde scio, eas omnes iustè acquisitas! Quàm citò erratur! quàm facilè hîc, in exigendo, exceditur? quàm citò iura aliena violantur? quàm multi, dum suis volunt regibus esse fideles, in alios sunt violenti? arbitrantur enim officij sui esse, alijs sua eripere, & cuncta trahere ad fiscum, hoc demum artem Politicam esse existimant. Hæc omnia regis sunt; nempe & pecuniæ, & iniuriæ. Potest igitur damnari ob diuitias, aliena manu iniustè acquisitas. Cur enim possideat opes vi, aut fraude comparatas, & de vi, aut fraude non accusetur? Ac licet de nullo hoc sciam meorum satraparum; scio tamen hoc fieri & posse, & solere. Quare, ô Deus, *à iudicijs tuis timui.*

BELLA SIT TIMENDVM?

Iam de possessione ipsa quid dicam? cælum

IV.

CVR PROPTER DIVITIAS IVDICIVM DEI SIT TIMENDVM?

lum non possidebit, quisquis possidet vel æs, vel rem vllam alienam. Et quàm difficile, præsertim superbis, atque errorem suum vel agnoscere, vel retractare nolentibus, restituere ea, quæ per vim, aut dolum abstulerunt? Iubeo quidem, & volo omnia restitui; teruncium non cupio habere alienum; sed num id faciant ministri regij, certus non sum, idcirco, ô Deus, *à iudicijs tuis timui*. Quanta porrò delinquuntur, in vsu ipso diuitiarum? quàm sæpe ijs non succurritur, qui ad cælum clamant, à rege non exauditi? quàm durè agitur cum ijs, qui regum caussa durissimos sustinuêre labores? quàm multis sua merces acciditur, differtur, penitus negatur? Vires, tempus, vitam, sanguinem impenderunt pro rege; nihil agnoscitur; compensatio est nulla; immò sæpe regi neque innotescit quidem, quantum alij illius caussa se se fatigarint. Quid, quòd multis mala pro bonis retribuuntur? Hæc omnia cauere in regno suo est regis. At quomodo facile sit cauere, si noscere est difficile? cùm qui talia conantur, qui pessimè omnia administrant, lucem oderint, & mille habeant artes tegendi, dissimulandi, negandi. O Domine, *ignorantias meas ne memineris.*

ris. non veniunt talia ad aures meas; sepeliuntur, sed scio quàm seuerè agas cum ijs, qui vel talentum suum, nedum crimen suum, sepeliunt; idcirco *à iudicijs tuis timui*; nam & istos tales mecum, & me cum illis iudicabis.

Iam enim ipse scio, quod alius post me dicet: *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ rex imperat seruienti.* In summo omnia colligũtur. In regem populi gloria, in regem victoria, in regem, spolia referuntur; cur nõ etiam, quod populus delinquit? Mihi igitur etiam dicendum, immo quasi iam dictũ existimo, illud: *Audite reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundùm voluntatẽ Dei ambulastis. Horrende & citò apparebit vobis: quoniam iudiciũ*

V. Eccles. 5.7 CVR OB POTENTIAM SVAM REGES IVDICIVM DE DEBEANT FORMIDARE?

Sap. 6.2

durissimum his, qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquã Deus, nec verebitur magnitudinẽ cuiusquam: quoniã pusillum & magnum ipse fecit, & æqualis cura est illi de omnibus: fortioribus autem fortior instat cruciatio. Idcircò, ô Deus, ait Dauid, *à iudicijs tuis timui.*

VI. Cvr S. Pavlvs hoc ivdicivm timverit?

Quid, quòd ipse Paulus Apostolus, vas electionis, post tot labores, pericula, ærumnas, post tantam hominum multitudinem ad Christum adductam; iam sine omni labe, adhuc tamen solicitus fuit, adhuc iudicium istud expauit, adhuc se non ab omni metu absoluit? Nam metuentis, & cauentis sunt illa: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Ego igitur sic curro, non quasi in incertũ: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Magnum solatium est, nihil sibi conscium esse, non est tamen securitas. Multi nihil sibi conscij sunt, vel quia obliti sunt delictorum suorum, vel quia ea pro delictis numquam habuerunt. Quo modo enim delictorum totius vitæ recordarentur, qui ne quid vno anno peccârint, cùm confitendum

1. Cor. 4. &

dum est, immò ne quid vno die cogitârint, meminerunt? Sunt & qui cùm innocentes persequuntur, putent sese obsequium præstare Deo. Sunt, qui bonum malum, & malum bonum dicant. Tales seipsos iustos iudicant, non autem Dominus. Paulus ait: *Qui autem iudicat me, Dominus est. Ego sic curro, non quasi in incertum.* In incertum currunt, quibus satis est, putare, se rectè agere, siue errent, siue non errent. Qui dubitat, an liceat, quod facit, peccat; quia peccandi periculo se exponit. Sæpe etiam multi ex ignorantia, mœrore, aut deceptione Satanę delinquunt. Sunt & peccata, quę, ob subtilitatem, homines fugiunt, vt sunt superbiæ internæ, temeraria iudicia, sinistræ intentiones, negligentiæ, & omissiones. His in exemplum, vel ipse Apostolus, ait; *nihil se quidem sibi conscium esse, sed non in hoc se iustificatum esse.* Quod vel probissimis etiam metum debet parere, cogitantibus multò alia esse Dei, quàm hominum iudicia. Sæpe quæ homines probant, Deus improbat; & quod nos laudamus, Diuina iustitia supplicio dignum inuenit. Agebatur de rege creando, *sanctificauit Isai & filios eius* Samuel, 1. Reg. 16.
& vocauit eos ad sacrificium, cumq; ingressi es- 5.

sent, vidit Eliab & ait: Num coram Domino est Christus eius? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Quis putasset & Eliab, & Abinadab, & Samma, vno verbo, septem grandiores fratres à Domino reiectos, electum autem paruulum Dauid, qui pascebat oues, atque nec ab ipso patre suo dignus habebatur, vt ante Samuelem statueretur? Nimirum Dominus

Isa. 11. 3. *non secundùm visionem oculorum iudicat, neque secundùm auditum aurium arguit.*

VII. ALITER DEVS ALITER HOMO IVDICAT.

Hinc multi, qui ceteros despiciebant, ab illo despecti sunt. Quanta Pharisæum inter & Publicanum differentia extitit? Pharisæus summo, Publicanus imo loco stabat; ille bis in sabbato ieiunabat; decimas dabat omnium, quæ possederat; Publicanus neque oculos ad cælum audebat leuare. Ita de se ipso vterque iudicabat; quid autem de illis Deus? *Dico vobis*, ait, *descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Scilicet, *est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Quàm multi sibi plaudunt de pietate, qui cum hypocritis partem suam habe-

Luc. 18. Prou. 16. 25.

habebunt? Quàm multi imitantur illum, qui accedens dicebat: *Domine scio, quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas, vbi non sparsisti: & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes, quod tuum est. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas, quia meto, vbi non semino, & congrego, vbi non sparsi: oportuit ergo & te committere pecuniam meam nummularijs, & veniens ego recepissem vtiq;, quod meum est, cum vsura. Tollite itaq; ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.* Matth. 25. 24.

VIII. Gaspar Ens lib. 2. Epidorp. pag. 193. MIRABILE LVDOVICI XI. IVDICIVM.

Ludouicus XI Franciæ Rex, acceptis, nescio vnde, duodecim scutatorum millibus, non ignarus mox aulicos vndique tamquam ad prædæ partem conuolaturos, pecuniam omnem in mensam effundi iussit: & ad circumstantes conuersus, Numquid, ait, iam probè nummatus Rex sum? Quid verò his mihi nummis faciundum censetis? Quamquam facile ipse intelligam, quum donati mihi sint, alijs quoque à me donandos. Vbi iam sunt amici mei, qui gratum mihi & vtile officium præstiterunt? Omnium animis magnam in spem erectis, Rex quempiam hianti ore atque oculis thesaurum illum quasi deuorantem conspicatus: Quid tu, ait, hominis es? nullane recensere potes tua merita, quæ ali-

qua digna sunt compensatione? Ille falcones Regis sese diligenter & fideliter, ac magnis etiam cum suis expensis aluisse dicebat, seq; Regiæ liberalitati quàm humillimè commendabat. Inde alij atq; alij prodeuntes, sua quisq; officia, ac interdum etiam non sine mendacio, iactabant, atq; deprædicabant. Adstabat verò inter reliquos Regis Cancellarius, quem ipsum Rex quoque acciri iusserat: sed reliquis prudentior, nulla sua merita narrabat, sed tacitus tamquam post scenam siue siparium, se continebat. Re in longum, vt cupiditas illorum & spes tantò magis accenderetur, protractâ, tandem Rex ad Cancellarium conuersus, An tu, inquit, solus nihil postulas? an solus nihil habes, quod prædicare possis? ibi Cancellarius: Ego, inquit, ô Rex, à tua liberalitate multò plus accepi, quàm omnibus meis officijs vmquam promerui: at iam in illam tantùm mihi curam ac cogitationem incumbendum est, vt quàm possum gratum me exhibeam: tantum abest, vt quidquam à Regia Vestra Maiestate poscere velim, aut debeam. Ergo, tu, inquit Rex, solus, inter tam multos, pecuniâ opus non habes? equidem, respondit Cancellarius, vt opus non habeam, jam dudum regiâ vestrâ liberalitate mihi prospectum est. Tum Rex ad reliquos, Numquid magnificus, inquit,

inquit, Rex ego vobis videor, qui Cancellarium habeam tam opulentum? Hinc dici non potest, quantò maiorem ſpem plerique omnes concepe- rint, poſtquam audiuêre Cancellarium neque ſibi quidquam poſcere, neque opus habere. Suſpen- ſis diu omnium animis, Rex tandem Cancella- rium ad ſe vocat, & , Quamuis, inquit, tu ſolus nec à me petere quidquam, nec vllum tuum me- ritum iactare volueris, ego tamen & præterito- rum conſcius, & futurorum certus, volo ac iu- beo, vt quantum nummorū in hac menſa iacet, id omne domum tecum auferas. Mox reliquis, qui tamquam corui biantes deluſi, triſtes hæc au- diebant: Vobis, inquit, alia occaſio expectanda eſt. Qui bene ſeruit, & tacet, etiam tacens petit.

IX. QVOTIES HOMINES IN IVDICIIS SVIS ERRENT?

O quàm multis hoc contingit, apud De- um! Nam qui plurimùm meruerunt, ſan- ctiſſimi ſunt, & inde etiam humillimi; vt a- deò merita ſua nihili æſtiment. Non enim attendunt magis ad ea, quæ præſtiterunt, quàm quæ præſtanda fuiſſe agnoſcunt; ſemperque vident, ſe plus accepiſſe, quàm reddere poſſint. At ſuperbi facilè ſibi ipſis plaudunt, facilè blandiuntur, facilè gratu- lantur de inanitate. Vnde cùm non agno- ſcant, quæ malè geſſerant, omnia quaſi præ- mio digna arbitrantur, quæ fecerunt. Quin

& iactant hæc, & illa. Sed ventus eſt, in quo ædificant. Caſſa igitur ſpe nituntur, & mortui mercedis nihil reperiunt, vt dici
Pſal 75.6. poſſit: *Dormierunt ſomnum ſuum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Nemo igitur, qui ſapit, ſine metu eſt.
Eccleſ 9.1. *Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, vtrùm amore, an odio dignus ſit.* Hoc facit, vt etiam ſancti iudicium diuinum formident, quibus
Matth.19.30. non incognitum eſt illud: *Multi erunt primi nouiſsimi, & nouiſsimi primi.* Ego ſanè ma-
Luc.7.39. lo cum Magdalena, quàm cum Phariſæo, qui Magdalenam peccatricem appellauit, in hoc tribunali comparere. Paulus, qui in oculis ſuis minimus, & nomine Apoſtoli indignus, immò peripſema, & Eccleſiæ perſecutor; an non eſt omnibus illis antepoſitus, qui tam mundi ſibi videbantur, vt non pati vellent, Chriſtum cum Publicanis & peccatoribus manducare? Offendit Deum præſumptio, placat humilitas. Neque qui nunc eminet, & honoratur, tunc maior erit in regno cœlorum. *Tranſit honor huius ſæcu-*
S. Auguſt. epiſt. 203. *li, tranſit ambitio,* ait S. Auguſtinus. *In futuro Chriſti iudicio, nec abſidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium*

atque

atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, vbi cœperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter iudicare. Quæ hîc honorant, ibi onerant; quæ hîc releuant, ibi grauant. Ista, quæ pro tempore, propter Ecclesiæ vtilitatem, honori nostro exhibentur, defendentur fortè bona conscientia, defendere autem non poterunt malam.

CAPVT XIII.

Quibus Iudicium Particulare longè magis pauendum sit, quàm Iobo, Dauidi, & Paulo fuerit?

I. QVI A IOBI DEREANT IVDICII METVM DISCERE.

REpeto, quæ suprà posui, & à metu iustorum, impios metuere iubeo. Nam si *columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius*, si Iob *omnia sua opera verebatur*: si Dauid *à iudicijs* Dei *timuit*, Iob.25.11. si Paulus ipse, quamuis *nihil* sibi *conscius*, tamen non ausus est se iustificare; quis metus Iob.9.28. Psal. 118. non incumbet in eos, qui ab innocentia Iob, 120. à pietate Dauid, à Pauli sanctitate multis 1.Cor.4.4. parasangis recedunt, & toti flagitijs cooperti cogitant, sibi statim in ipso mortis momento iudicium diuinum sustinendum? Iob.17.13. Patientissimus Iob *omnia opera sua veretur*, Iob 9.29. Iob.3.24.

&c

& adeò somnum, & quietem, ; vnde ait: *In tenebris straui lectulum meum:* ne quid vel cubitum iturus indecorè aspiciam; atque vt antè, quàm incipiam dormire, collecta mente, Deo me commendem; adeò ipsam quietem suspectam habuit: adeò ipsum laborem, quem, ne cassus esset, verebatur, vnde ait: *Quare frustra laboraui?* adeò ipsam discussit necessariam corporis refectionem; vnde ait: *Antequam comedam, suspiro.* Quid formidinis non deberent concipere Endymiones, comedones, bibones, epulones, Sardanapali? qui noctes diesque in vino natant, & vel ideò rationem ebrietate obruunt, ne iudicium suum cogantur meditando præsentiscere? Luculentum formidinis huius ex-
Dan.5.3. emplum est in rege illo Balthassare, qui *fecit grande conuiuium optimatibus suis mille.* Omnia feruebant. Calebant animi & ioci. Rex ipse iam temulentus præceperat, vt afferrentur vasa aurea & argentea. *Et biberunt in eis rex, & optimates eius, vxores, & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos* &c: *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrū, in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos*

los manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur. Nondum sciuerat, quid esset illud THECEL &c: *appensus es in statera, & inuentus es minus habens;* & tamen omnia membra eius contremuerunt. Sic ad diuina iudicia conuiuatores contremiscent; qui fortasse planè à Iob diuersi, nulla opera sua verentur: serò autem, ni maturent pœnitentiam, contremiscent.

II. Quòd si Dauid dixit, *à iudicijs tuis timui,* quid timere non debebunt reges impij, crudeles, tyranni, quorum tanta est iniquitas, quanta libertas, & quantæ occasiones peccandi? vt planè, sicut è summis verticibus montium altissimus est & periculosissimus casus; ita etiam summi Principes summa discrimina habeant salutis. Nolim tam seuerus esse, vt vniuersim omnes damnem, cùm sciam, iustitiæ, sobrietati, pietati deditissimos multos; immò multos etiam sanctos extitisse; vt tamen indicem, quid alij sentiant, historiam hîc verbatim exscribam è festiuo simul & erudito authore. *In Italia, inquit, Iacob Galbus magni nominis ea ætate Theologus, in quodam sermone, ad populum*

Ps.118 120

QVID A DAVIDE REGES PRINCIPESQVE DEBEANT DISCERE?

Gasp.Ens l. 2. Epidorp.pag. 226.

multa de periculoso Principum statu, & quàm pauci, post hanc vitam, æterna illa potirentur, dixerat. Monitus deinde ab amico, vt ad vitandam malam Principum gratiam, quod imprudenti forsan sibi exciderat, alia ad populum concione corrigeret, aut saltē mitigaret; quamuis natura pertinax, tamen facturum se id recepit. Post aliquammultos ergo dies, captata è textu, quem explicabat, occasione: Nuper, ait, se quadam de periculoso Principum statu, & eorum, qui saluarentur, paucitate disseruisse, qua intelligat, nonnullis minùs placere, atque etiam à vero videri aliena. Ne ergo quo modo id quod dixerat, accipiendum sit, quisquam dubitare possit, velle se, pro suo more, apertiùs aliquanto declarare, nimirum quod in vniuersum de dubia Principum salute dixisset, cum limitatione quadam intelligendum. Neq; enim se a regno cælorum eos exclusos putare, qui infra septimum ætatis annum moriantur; sed eos tantùm, quos ætas, & rerum omniū licentia corruperit. Quamuis igitur non omnes corrumpat vel ætas, vel licentia, vel potestas, vel malus consultor, & sane, vt dixi, multos æqui & boni amantes ætas nostra ferat, est tamen vulgare dictum: *Omnium bonorum Principum nomina, in vno annulo scribi posse,*

fortasse

fortasse ab eo scriba, qui totum Homerum, aut Iliadem illius in nuce descriptam inclusit. Sed nihil attinet, numerare. Constat, bonos Principes faciliùs, quàm malos posse numerari. Mali ergo Principes, & Reges, & Imperatores, quot & quàm difficiles caussas ad diuinum tribunal afferent iudicandas? & tamen quàm rarus est, qui Deo dicat: *à iudicijs tuis timui?* cùm etiam boni, vt potestate, & authoritate magni sunt, ita magnas Deo debeant dare rationes. Qua de caussa multi priùs purpurã abiecerunt, & saccum induerunt, in cilicio & squallore se fore tutiores rati, quàm in paludamento. Et multi, in diademate, ante hunc Iudicem, trepidantes,

Stant vincti, seroq́; piget sub iudice culpæ. Silius Ital. l. 13. bell. Pun. 2.
Circumerrant Furiæ, pœnarumq́; omnis imago.
Quàm vellent numquam sceptris fulsisse superbis!

III. Ipse Apostolus ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quo modo se iustificare audent, qui palàm sibi conscij mille flagitiorum? Diffamato apud se villico ait Dominus: *Redde rationem villicationis tuæ; iam enim non poteris villicare;* quæ sola postulatio, ita miserum perturbauit,

1. Cor. 4. 4
VSVRARIORVM QVALE EXPECTANDVM IVDICIVM.
Luc. 16. 2.

VL-

vt nesciret, quid sibi faciendum. Dicebat enim Villicus intra se: *Quid faciam*: Nesciunt profectò tunc isti, quid faciendum sit. Nimis sibi conscij sunt. Et malè seruum bonum imitantur. Laudabatur seruus, qui è duobus talentis quatuor, & qui è quinque decem fecerat; isti non laudabuntur, qui idem, sed improbo modo, immò plus extorquent. De eo, qui laudatus est, dicitur: *Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* Operando lucratus est, non vsuram exercendo. Nullus vsurarius in Iudicio diuino saluabitur; nullus in cælum admittetur. Vnde cùm quæsiuisset Dauid: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* respondit, inter cetera: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Ergo qui eam ad vsuram dedit, non habitabit in tabernaculo Dei, neque requiescet in monte sancto eius. Et quidem quicumque pecuniam suam dederit ad vsuram. Audite rem Iudaicam, non Christianam; rem, quam Turcæ non faciunt; rem cùm alibi concionarer, vsurpatã, & mihi in scripto traditam, vt eam publicè exagitarẽ; audite,

Matth. 25. 16.

Psal. 14. 5.

dite, & ipſi iudicate, quo talis iudicio dignus ſit. Non nomino perſonas, vitium exagito, vitium oppugno, vt vitioſus ad pœnitentiam redeat, vel cum ſua vſura in Acherontem abeat; dum illi Iudex dicet: *Tua pecunia ſit tecum in perditionem.* Act.8. 20. Iudaicum, cenſetur, vſuræ nomine, & pro ſolius mutui mercede ac titulo, accipere etiam 5. florenos pro 100. annuatim. Quo tamen pacto non niſi tres cruciferi pro vno floreno veniunt, toto integroq; anno. Sunt qui ſingulis trimeſtribus tantumdē petunt: immo plus, nam pro 100. florenis quinque ſibi, & ſextum Aduocato petunt. Sic adeò viginti quatuor floreni in ſingulos annos à 100. pariuntur. ô non iam ſterilis, ſed nimis fæcunda & prolifera pecunia! Putatis auaritiæ fundum eſſe? Inſtar ignis ſerpit, inſtar incendij creſcit. In ſcripto itidem mihi traditum eſt, & publicè diſcutiendum, pro concione, datum; fuiſſe, qui pro ſingulis florenis, ſingulas in hebdomades 3. cruciferos poſtularet. Iudæi ſæpe contenti ſunt, ſi toto anno, pro 1. floreno tres cruciferos obtineant; Chriſtiani mitiores ſcilicet, in ſingulas hebdomades totidē exigunt. Vultis vt clariùs Camerinam hanc moueam?

Triginta floreni concessi sunt; datum est pignus ducentorum florenorum. Vsuræ titulo (ah titulone dicam, an equuleo?) singulis hebdomadis exigitur & extorquetur talerus, hoc est, florenus cum dimidio. Igitur qui mutuò dat 30. florenos, vno anno recipit quinquaginta duos taleros, hoc est, septuaginta octo florenos. Quis hæc talia inter Christianos vmquam audiuit? Nonne hoc est in ipsa ciuitate prædari, & egentes ad incitas redigere? Vbi est Christiana charitas? sicné succurris, an occidis? mutuum das, an spolias? Quæ iustitia hoc vmquam permisit? quis magistratus tolerauit? Sed nimirum nescit hoc magistratus, alioqui & eum plecteret, qui exigit, & illum, qui tam barbaro lucro ianuam aperit. Sed quod nescit Magistratus, non nescit Deus: ille, cùm mortuus fueris, vsuras tuas longè accuratiùs trutinabit, quemadmodum & alios quæstus, emptionesque & venditiones iniustas. Non possunt hîc homines dicere: *Nihil mihi conscius sum*; quàm diu nummus in arca, tam diu manet scrupulus in conscientia. Quamquam vt spero, nec magistratus cessabit indagare, vt possit emendare. Isti autem, qui tales sunt, attentè illud considerare

rare debent, quod S. Polycarpus martyr, Smyrnæorum Episcopus, S. Ioannis discipulus ad Philippenses scripsit: *Si quis non abstinuerit ab auaritia, ab idololatria coinquinabitur, & tamquam inter gentes iudicabitur.* S. Polycarp. ep. ad Philippens.

IV. In vicina Germaniæ Gothia, vt refert Olaus Magnus, Ioannes Turso quemdam capite plecti iusserat. Is genibus innixus, *En morior iniustè,* inquit, *teq́ voco, hac hora ante tribunal Dei, vt respondeas, cur me innocentem morti condemnes.* Vix miser carnificis manu obtruncatus fuerat, cùm etiam iudex de equo corruit exanimis. Siue vi citationis, siue metu Iudicis conciderit iste, profectò mirissimum est, non omnes scelerátos & malè sibi conscios corruere exanimes, quoties & debitorum suorum, & iudicij huius recordantur. Ficta sunt quorumdam iudicia, simulatè crimina discutiunt, atque impunita dimittunt. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa:* & ideò timenda. Idcirco ait: *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam,* nihil dissimulabo. Sed non omnes sunt scelerati. Inuenias multos adeò simplices, vt vix agnoscant, quod in confessione detegant. A multis Confessarius

Olaus Magnus l. 14. hist. Aquil. cap. 10.

QVAM METVENDVM SIT OMNIBVS DEI IVDICIVM.

Psal. 18. 10.

Psal. 49. 21.

vix potest absoluendi materiam extorquere. Quid ergo illi diuinum tribunal metuant? Collyrio his opus est, vt, cæcitate deposita, & metuere salubriter discant, & rectè peccata sua confiteri; ne in iudicium diuinum dilata serò nimis lugeantur. Qui minimùm videt, maximè cæcutit. Minimùm autem videt, qui plurima habet ante oculos impedimenta: qualia non sunt tantùm diuitiæ, potentia, dignitates per fas & nefas acquisitæ, sed etiam illicitæ corporis voluptates, in quas immersi futura nequeunt intueri. Hinc impij, quod non vident, non timent; at iustus cum Iob dicit:

Iob 31. 23. *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.*

V. QVANTVM HOC IVDICIVM TIMVERIT S. HVMBERTVS?

Hoc aquilæ dicunt, quid timere debebunt talpæ? Miratus sum sæpe, cùm viderem, eos, qui in medijs periculis, immò peccatis ambulant, Deum iudicem longè minùs metuentes; quàm timeant terrenum principem, aut etiam prætorem ciuitatis; cùm tamen sanctissimi quique, *semper quasi tumentes super se fluctus timeant Deum*. Cuius rei testatissimum exemplum est S. Humbertus Episcopus Leodiensis, de quo eiusdem temporis scriptor narrat, eum, postquam

Iob. 31. 23.

Apud Sur. 3. Nou.

vltima

vltima dies, quæ illi semper fuit expectata, haud dubijs signis indicauit hinc migrandum, multa suis egregia documenta salutis tradidisse, tandemque, coronidis loco, addidisse: *Mihi non mediocris insistit angor, reminiscenti, ministerij mihi iniuncti quanta debeat esse perfectio: & è contrà, quàm sit contemptibilis vita meæ inofficiosa correctio. Ecce Iudicis mei iamiam considero à nuptijs reditum, cùm tamen mihi desint lampades repletæ bonorum operum perfectione, charitatisq; luce irradiatæ, quibus eius terribili atque splendifluo dignè valeam occurrere aduentui. En rationem positurus de talentis redit: mihiq; timeo dici, quod seruus negiligens audiuit: Redde rationem villicationis tuæ: Itemq;, serue male, & piger, oportuit te pecuniam meam committere nummularijs, vel ad mensam, & ego veniens recepissem vtiq;, quod meum est, cum vsuris. Gregis mei te posui pastorem, exercitusq; Ecclesiastici ducem: lactis eorum vbertate famem, lanarum tegmine frigoris repellere consueuisti algorem. Præsentes ergo necesse est eorum saluationem, quorum te præposui præsulem.* In hunc modum Sancti metuunt perspicacem illum Iudicis diuini oculum; qui si omissa, si puluisculos, si vel vmbras tenues discutiet, an

dormitabit ad commissa, ad sordes illas, ad tenebras & opera tenebrarum conniuebit? Et tamen id putant maximi quique peccatores.

VI. QVO MODO METVENDVM HOC IVDICIVM DOCVERIT S. AVGVSTINVS? S. Augustin. ep. 80 ad Hesychium. 2. Thess. 2.

Si quis extremi iudicij diem instare breui putaret, an nõ omnia desereret vana, seq; in aduentum Domini pararet? Atqui parũ refert, siue Vniuersale, siue Particulare iudicium instet, in vtroque rerum cardo vertitur. Et certè tempus breue est iudicij Particularis vnicuiq; venturi. Quin ergo maturè abijcimus peritura, ne cum illis & nos pereamus? Sanctum Patrem consulentem videamus. *Apostolus Paulus quando dicebat: Non citò moueamini mente, neque terreamini; siue per verbum, siue per Epistolam, tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini; nolebat vtique, vt crederent eis, qui iam propinquare Domini arbitrantur aduentum, nec tamen volebat, vt tamquam seruus ille dicerent: Moram facit Dominus meus venire: & traderent se superbiæ, luxuriæ, perdendos: sed sic eos volebat de propinquante die nouissimo falsis auscultare rumoribus, vt tamen vellet eos paratos ad aduentum Domini sui lumbis accinctis, & lucernis ardentibus operiri, quibus dicit; Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies ille*

tamquam

tamquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Ille autem qui sic dicit, moram facit Dominus meus venire, vt percutiat seruos suos, epuletur cum ebriosis, non est lucis sed tenebrarum, & ideò eum tamquam fur dies ille comprehendet, quod vnusquisque debet etiam de die huius vitæ suæ nouissimo formidare. In quo enim quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies, quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur. Ad hoc pertinet, quod in Euangelio secundùm Marcum ita scriptum est: Vigilate ergo, quia nescitis quando Dominus domus veniat, serò, an mediâ nocte, an gallicantu, an manè, ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Quibus enim omnibus dicit, nisi electis & dilectis suis ad corpus eius pertinentibus, quod est Ecclesia? non solùm ergo illis dixit, quibus tunc audientibus loquebatur, sed etiam illis qui fuerunt post illos ante nos, & ad nos ipsos, & qui erunt post nos vsque ad eius nouissimũ aduentũ. Numquid autem omnes inuenturus est dies ille in hâc vitâ, aut quisquam dicturus est, quòd ad defunctos etiam pertineat, quod ait, vigilate, ne cùm repentè ve-

nerit, inueniat vos dormientes? Cur itaq; omnibus dicit, quod ad eos solos pertineat, qui tunc erunt, nisi, quia eo modo ad omnes pertinet, quomodo dixi? tunc enim vnicuiq; veniet Dies ille, cùm venerit ei dies, vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die. Ac peruigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inueniat eum Domini aduentus: imparatum autē inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit suæ vitæ huius vltimus dies. Certè enim hoc saltem manifestum erat Apostolis: non eorum temporibus, cùm hîc in carne viuerent, Dominum esse venturum, & tamen quis dubitet, eos præcipue vigilasse, & seruâsse quod omnibus dixit, ne imparatos repentè veniens inueniret?

VII. IVDICIO HOC LY-RCIANVS AD VITAE FERVOREM EXCITATVS EST.

Nimirum seria fides, & certa cognitio, memoriaq; assidua iudicij instantis non solùm homicidas, & adulteros, & violentos deceptores, aut sacrilegos percellit, sed etiam Dei seruos excitat, ad vigilandū, quando Dominus veniat. Vtinam ita mens nostra perspicaciter cerneret iudicij huius seueritatem, sicut, peculiari gratia, nonnullis ostensa est ad hanc vitam postea reductis, quàm ab omni corporis cura, & mundi vanitate attentè abstineremus! *Superna enim pietas*, ait S. Gregorius, *ex magna miſe-*

S. Gregorius lib. 4. dial. c. 36.

misericordiæ suæ largitate disponit, vt nonnulli, etiam post exitum, repentè ad corpus redeant, vt tormenta inferni, quæ audita non crediderant, saltem visa pertimescant. Ita, eodem teste, Illyricianus monachus, in eremo, cui Euassa nomen est, degentē monachum Petrum narrantem audiuit, quid eum in eremum, & ad tam arctum vitæ genus impulerit. Nam priusquam eremum peteret, molestia corporis interueniente, defunctus est: sed protinus corpori restitutus, inferni se supplicia atque innumera loca flammarum vidisse testabatur. Qui etiam quosdam sæculi huius potentes, in eisdem flammis suspensos se vidisse narrabat. Qui cùm iam ductus esset, vt in illas mergeretur, subitò angelum corusci habitus apparuisse fatebatur, qui eum in ignem mergi prohibiberet. Cui etiam dixit: Regredere, & qualiter tibi posthac viuendum sit, cautißimè attende. Post quam vocem paulatim recalescentibus membris ab æterna mortis somno euigilans cuncta, quæ circa illum fuerant gesta, narrauit. Tantisq; se postmodum ieiuniis, vigiliisq; constrinxit, vt inferni eum vidisse, & pertimuisse tormenta, etiamsi taceret lingua, conuersatio loqueretur. O quàm multi ad aliud perfectiusque viuendi genus transirent, si

viderent, qualem sibi, in diuino tribunali, locũ, apud inferos, præparent! Nulla aqua Æthiopes istos potest lauare, flam̃a potest.

VIII. Suprà c.6. § 7. ITEM ALII, CVM QVIBVS ET NOS DEBEMVS EXCITARI.

Lauit, aut certè purgauit solitarium illum, qui in Choreb habitauit, de quo suprà memoraui. Planxit ille eremita tantopere vitæ prioris languorem, metu iudicij mox secuturi; quid non faciendum est ijs, qui tot annos, in omni vitæ licentia, *in cubilibus, in impudicitijs, in ebrietate,* in iniustitia & iniquitate, in blasphemijs, in sacrilegijs rapinis, in sortilegijs, & nullo non genere nefariorum scelerum traduxerunt? Sed hæc est mortalium cæcitas; qui alios norunt censere, qui atomos vident & carpunt in fratre suo, illi *trabem in oculo suo non vident;* pleni vlceribus, se sanos arbitrantur; nec timent, quod meruerunt. Vtque iusti & Deum timentes, instar generosi equi, etiam ad virgæ vmbram, attendunt, ita *impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit; sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.* Si enim ipse S. Hieronymus scripsit: *Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operior cum tremore reddere nouißimum quadrantem,* quid ille dicere, quid cogitare debet, qui non in eremo atque

Matth. 7. 3.

Prou. 18. 3.

S. Hieronym. ep. 5. ad Florentium.

ab

ab hominum consortio remotus pœnitentiam agit, sed in medio nationis prauæ versatur, & quotidie agit pœnitenda? Sed plerumque ita est, vt qui maximè ægrotent, putent se minimè medicina indigere, non tam ægri, quàm insani.

CAPVT XIV.

Quàm graue hoc Iudicium, tum propter accusantes, tum propter res accusandas sit futurum?

IN Olympo monte Lyciæ, memorat Methodius, ignem sponte sua in montis cacumine ex imo terræ enasci, & velut è camino emicare; à quo cùm gramina, & arbores ceteræ lædantur, & vel totæ, vel ex parte exarescant, est tamen iuxta eum ipsum ignem stirps Pyragnus nomine, adeò florida, virens, & opaca, vt è fonte potiùs nata videatur. Qui moriuntur, ad Olympum se tendere pleriq; existimant. Sed pauci eò perueniunt illæsi. Dei Mater, quæ iam dudum in rubo ardenti incombusto Moysi est ostensa, extra peccati originalis labem, quæ in ceteros homines grassata est, concepta, & ab omni culpa

1. Method. apud Photium. PAVCOS ESSE, QVI PVRGATORIO, VEL INFERNO NON ADIVDICENTVR.

Exod. 3. 2.

culpa immunis, Pyragnus potest vocari; itidem martyres, & qui pro suis peccatis in hac vita plenè satisfecerunt, iustusque omnis, cum vera contritione decedens, de quo

Psal. 1. 3. Ps. 91. 13. dictum est, *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, itemque, *vt palma florebit*, hi & à Purgatorio, & ab inferno igne intacti manebunt; ceteris, pro mensura delicti, vel temporalis, vel æternus ignis in iudicio decernetur. Hic est aculeus, qui iudicium Dei facit metuendū, impijs quidem ob æternum, ijs autem qui in gratia Dei constituti, maculas tamen nondum omnes eluerunt, ob temporalem Purgatotij ignem. Quia autem ex vtroque genere sunt, qui sæpe monstrum quod alunt, aut culpas, quæ in iudicio ventilabuntur, non agnoscunt, videamus, quid Iudex ille sit discussurus: quos accusatores, & de quibus rebus auditurus.

II. Ps. 18. 10. QVAM VEHEMENS SIT ACCVSATOR DIABOLVS? Zachar. 3. Ps. 108. 6.

Tametsi eo in tribunali, nullus sit calumniæ, aut arti locus, quia *iudicia Domini vera sunt*, erit tamen ibi accusator acerrimus cacodæmon, qui animæ iudicandæ latus cinget, vt cum Scripturis D. Gregorius docet. Rectè is vocatur *accusator fratrum nostrorum*, cuius est, *accusare illos ante conspectum*

ctum Dei, die ac nocte. Huius accusatio erit valde vehemens. 1. Spe prædæ acquirendæ. 2. Odio ac rabie, qua longè maiore agitabitur, quia modicum tempus habet, & iudicium illud est capitale. 3. Diligentiâ omnia vitia obijciendi; nullum enim omittet; nec illa quidem, quæ suspicabitur à nobis admissa, quando tentationibus, nos est aggressus; quibus nescit an consensum præbuerimus. Faciet autem eum insolentem ipse locus, siquidem Angelo depulso, ad dexteram malorum stabit; iuxta illud: *Diabolus stet à dextris eius, & cùm iudicatur, exeat condemnatus*. Boni Angelum bonum à dextris seruabunt, de sinistro Angelo triumphantem. Væ animæ, cui diabolus stabit à dextris, stabit enim tamquam insolentissimus accusator.

D. Gregor. hom. 39. in Euang. Apoc. 12. 10.

Psl. 108. 6.

III. ANGELVS CVSTOS QVANTVS SIT MALORVM ACCVSATOR?

Accedit ex altera parte ipse etiam Angelus custos, qui etsiamsi tueri malit, quàm accusare, erit tamen testis & accusator vel inuitus. Tuendi officium accepit ab ortu natiuitatis; & id vsque ad vltimum spiritum continuauit, summa diligentia, maxima fidelitate. Quòd si cliens eius, in odio Dei decedit, cogitur & ille à defensione eius desistere; & victus quodammodo cede-

te diabolo, fierique è custode accusator.
An non ille veritatis sit testis? an non indi-
gnetur, tantam à se curam frustra susceptam
amissum clientem, cum quo æternùm fuis-
set Deum celebraturus? qui iam eum æter-
nùm erit blasphematurus? Videbit etiam,
quoties homo tentanti diabolo consense-
rit, immo quòd vix vmquam ei restiterit;
Angeli autem sui boni consilijs, inspiratio-
nibus, monitionibus aures obturârit. De
quo, apud Iudicem queretur. Quis non in-
telligat autem, perspicacissimos esse hos
duos accusatores? Diabolum à dextris, An-
gelum à sinistris. Hunc locum ipse eis reus
dedit, cùm custodi monitori asper, seducto-
ri autem obediens fuit. Habet, quem præ-
tulit.

IV. CONSCIENTIA ACCVSATRIX.

Sed tertius erit instar mille testium. Ille
accusator contra nos stabit, ille velut in li-
bro, & syngraphis & perscriptionibus, om-
nia exhibebit accuratissimè annotata. Quis
ille accusator? D. Paulus eum nominat in-
quiens: *Testimonium reddet conscientia cogi-
tationum accusantium, aut etiam defendentium,
in die, quo iudicabit Deus occulta hominum.* (Rom. 2. 16.)
Sicut ergo quis, dum sacerdoti sua in Con-
fessione peccata detegit, se ipsum sponte
reum,

reum, accuſatorem, & teſtem contra ſe-ipſum conſtituit, vt abſolutionem conſe-quatur, ita in Particulari Iudicio & reum, aget, & accuſatorem, & teſtem, vt à Deo damnetur, ſi in hac vita pœnitentiam non egit. Vt autem conſcientia nihil ignoret, aut oblitteret, luce quadam manifeſtiſſima Deus illi patefaciet omnia ſua peccata, & ſingulorum probationes; nulla re prætermiſſa, etiam quam quis malam eſſe non putabat. Ad hoc *lucernas* adhibebit, tantam, enim lucem, dum animas ſcrutatur, accendit, vt ipſæmet omnes conſcientiarum ſuarum angulos, & in ijs minutiſſima quæque intueantur. Alibi vt rei ſua crimina fateantur, torturis adigendi ſunt. Hîc conſcientia ſe ipſam torquebit, lux illi erit, & manifeſta cognitio pro tortura, nil poterit inficiari. Soph. 1. 12.

V. CONSCIENTIA LIBER EST.

Antequam ad ſingula capita deſcendam, reuoco in memoriam ea, quæ de accuratiſſimo hoc Examine diuina volumina tradiderunt. *Omnes ſemitas meas obſeruaſti, veſtigia pedum meorum conſideraſti, greſſus meos dinumeraſti*, ait Iob. Item: *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti. Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea.* Semitas, greſſus, veſtigia, omnia iudi- Iob. 13. 27. Iob. 14. 16.

iudicabit. Et quid clarius? *vsque ad nouissimum quadrantem* omnia strictissimè exigentur. Erit ergo examen illud generale, de omnibus & singulis bonis, & malis operib9.
Apoc. 5. 1. *Liber scriptus proferetur, In quo totum continetur. Liber scriptus intus & foris*, ex quo cogitata æquè, atque effectui data patefient. Sunt enim non iam in diphtera Iouis, sed in scientia diuinæ mentis omnia quàm diligentissimè annotata: nihil excidet. Quin & propriæ conscientiæ arcana pro libro Rationum erunt. Suntque sæpe in vno homine tot debita, vt variorum tractatuum totum impleant codicem.

VI. An et in bonis operibus aliquid sit iudicandum?

Tractatus primus in eo codice, est de iustitijs ipsis, quæ fermentatæ paginas multas faciunt. Itaque 1. multi similes erunt pueris rudibus, qui sæpe scriptionem ad magistrum afferunt, è qua se laudem sperant reportaturos, cùm tamen, ob eamdem solœcismis plenam, vapulent. Sic multi, qui sibi persuadent, grandia se fecisse, reperient in diuino tribunali pœnis digna, pro quibus præmia sperauerunt. *Et erit in tempore illo, scrutabor Hierusalem in lucernis.* Ecce, vel Dominus ipse protestatur, se non tantùm scelestos in Babylonia degentes iudicaturũ, sed

Sophon. 1. 12.

ſed eos etiam, qui in Hieruſalem, tamquam iuſti, habitant. Qui opera in iuſtis iudicat, ea vtique in impijs non relinquet iniudicata. Quæ illa? orationes, ieiunia, feſta, eleemoſynas. An non enim orationem Phariſæi, Publicanum contemnentis, & ſe iactantis, iudicauit? an non etiam condemnauit? an non iudicauit ieiunantes, qui *faciem ſuam exterminant*; & quibus ait: *In ieiunio veſtro inuenitur voluntas veſtra?* an non damnauit eleemoſynas *tubis canentibus* factas; vti & precantes in angulis platearum? Quamquam autem aliter orent, & eleemoſynas largiantur iuſti, *iuſtitias* tamen & illorum *iudicabit* Deus. Multa enim etiam hîc irrepunt, quæ, velut morientes muſcæ, olei contaminant ſuauitatem. *Veniet*, ait S. Bernardus, *veniet, qui malè iudicata reiudicabit: illicitè iurata confutabit: qui faciet iudicium iniuriam patientibus: qui iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Veniet pro certo, qui per Prophetam minatur, in Pſalmo: Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Quid faciet de iniuſtis iudicijs, qui ipſas quoque iuſtitias iudicabit? Veniet, inquam, veniet dies iudicij, vbi plus valebunt pura corda, quam aſtuta ver-*

Luc. 18. 11
Matt. 6. 16
Iſa. 58. 3.
Matt. 6. 2.
Pſ. 74. 3.
S. Bern. ep. 1.

ta verba; & conscientia bona, quàm marsupia plena: quandoquidem iudex ille nec fallet... verbis, nec flectetur donis. Hîc se examinent viri fœminæque multæ orationis, an non in multi loquio sibi complaceant? quàm multas alias cogitationes admisceant? an non sæpius de mundo, de voluptate cogitent inter orandum, quàm de Deo? quid si potiùs ad templa eunt, vt videant suos impuros amores, quàm vt Deum adorent? quid si ieiunent, vt sumptui parcant? quid si ieiunent, quando volunt, non autem quando debent? an non in ieiunio eorum inueniatur voluntas eorum? Si quis alterum nunc in faciem laudet, nunc vituperet, num potest placere? Sic facit qui orans nunc de Deo, nunc de vindicta; nunc de cælo, nunc de voluptate illicita cogitat. Imitatur & illum qui bonis nummis monetam admiscet adulteratam; aut qui bonum cibum felle affuso corrumpit.

VII.

Hieron. Card. lib. 16. de rer. variet. cap. 93. VEL SOLAS OMIS.

2. Narrat è Boëtho Cardanus de Machabæo amitino regis Scotiæ Duncani, eum, cùm Magduffum timeret, ab aruspicibus monitum, à fatidica muliere lactatum prædictionibus. Nam hæc dicebat, non illum manu casurum nati ex muliere, nec priùs vincen-

vincendum esse, quàm nemus Birnen ad arcem Dounsinnam, quam tunc non satis prope nemus rex exædificauerat, magna ex parte, cùm amplum esset, translatum esset. Quorum altero se inuictum, altero ab insidijs tutum se credidit. Et tamen victus perijt, non aberrante vsquam fatidica. Nam pridie quàm vinceretur, excisa silua Birnen, quilibet ramum secum tulit, atq; ita arcem cinxerunt. Occisus denique à Magduffo, qui non natus, sed excisus ex ventre matris fuerat. Sic multos decipit dæmon, cùm eis persuadet, non esse sceleratos, non raptores, non iniustos, non adulteros, non publicanos: satis est, bona omisisse, commisisse mala non est necesse, ad damnationem. Peribunt à non natis isti. Heu quantæ sunt in hominibus negligentiæ, quanta ingratitudo? quàm multa diuina beneficia non agnoscunt? quot inspirationes sanctas surda aure respuunt? Sacramentorum quanta est nausea? quantus tepor, quanta irreuerentia? Harum rerum omnium reddenda est ratio, sed præcipuè officium cuiusq; ac munus omissiones plurimas ostendet. Tu Pontifex, tu Cardinalis, tu Episcopus, tu Abbas, tu Præpositus, tu Decanus, tu Parochus fuisti; tu Clericum egisti. Quoties versi-

SIONES SVFF CERE AD HOC IVDICIVM.

Luc. 18 13.

versiculum, psalmum, horam Canonicam; quoties sacrum ad quod obligabaris; quoties concionem, & alia, quæ officium postulat, omisisti? Omnia quæ clerico possunt contingere, contingere possunt & Parocho, & hinc vsque ad ipsum Pontificem Summum. Sed quò quis altiùs ascendit, plura potest negligere, quia plura tenetur præstare. O quot oues pereunt, socordia pastoris! ô quot Parochi & Pastores gregem suum meliùs pascerent, si Episcopi diligentiùs vigilarent! Episcopi ipsi à Summo dependent Episcopo, sicut in horologio rota à rota pondus vehente. Quod de Ecclesiasticis dixi, verissimum est etiam de potestate sæculari. Tu Imperator, tu Rex, tu Dux, tu Comes, tu Baro fuisti; tu œconomum, tu quæstorem, tu Magistrum egisti. Quid nomen requirit Imperatoris, Ducis? &c. Ancilla, seruus, qui non facit officium suũ, furatur salarium, immo & cibum suum. Sic omnis, qui officio deest. Non satis est itare ad templa, orare vsque ad fatigationem; si non & iustitia administratur. Sat magna caussa damnationis est, officium non præ-
Psa. 18. 18. stitisse. Non intelligunt hoc multi? at, *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me:*
aio

ait Dauid, *& ab alienis parce seruo tuo.* Itaque

3. Peccata imputabuntur aliena, quæ etsi aliorum operâ, non tamen sine nostra culpa perpetrantur; quorum nouem sunt genera. Iussisti, fecisti. Quod enim ex decreto, mandato, vel imperio tuo, in proximi iniuriam vel malum, redundat, tuum est peccatum. Neque enim minùs Pharao, immo magis occidit paruulos Hebræorum, dum iussit, quàm qui eos in flumen proiecerunt. Dauid ipse dicitur Vriam occidisse, quando eum per litteras iussit poni, vbi fortissimum esset prælium. Sic & Herodes iubendo occidit infantes; & Pilatus alienis manibus, sed sua sententia Christum crucifixit. O quàm multa homines iubent, quæ tendunt in malum & iniuriam aliorum, qui tamen numquam cogitant postea, suo id mandato accidisse? Dominus, qui cum suo Sacellano potauit, supra mediam noctem, si altero die eum iubet sacrum celebrare, an non cogens peccare alterum ipse peccat? *Præceperat Absalom pueris suis, dicens: Obseruate cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum & interficite: nolite timere: ego enim sum, qui præcipio vobis!* robora-

VIII. ETIAM ALIENA PECCATA AD HOC IVDICIVM PERTINERE.

Exod. 1.

2. Reg. 11.

Matth. 2.

2. Reg. 13. 26.

roboramini, & estote viri fortes. Fecerunt ergo pueri Absalom aduersum Amnon, sicut praeceperat eis Absalom. Sic iubent Domini. Etiam in optimis religionibus, vbi est strictissima obedientia, non debet obedire, qui intelligit sibi mandari peccatum. Peccat enim non tantùm exequens, sed multò magis iubens. Nec iussione tantùm, sed etiam consilio malo, quod alij aut sequuntur, aut sequi possent, peccata aliena nostra facimus. Sic consilio Caiphæ senatus Iudæorum in mortem Christi est concitatus. Sic Demetrius alijque opifices, ob quæstum suum, vrbem Ephesinam, aduersus Paulum, seditione ingenti compleuerunt. O consilia, consilia, quàm facile est errare! quàm pronum se accusare, ac dicere, quid ad me? ego non feci: fecisti, quia consuluisti. Si alter læditur, tua malitia est, tuum inuentum; numquam alteri, cui consuluisti, incidisset. Neque tamen excusati sunt, quibus ea stropha, sine consilio aliorum non incidisset. Vniuscuiusque est, expendere consilij æquitatem, eligere bonum, malum reprobare. Non solùm *facientibus, sed etiam consentientibus* damnatio imminet. Quid quòd vel ille consensus in peccatum computatur,

putatur, quo, quod ab alijs nequiter fit, saltem tacitè, etiam nostro suffragio comprobamus? Tali consensu, quia peccauerunt ciues Hierosolymitani suis magistratibus suffragantes, vt Christus perderetur, ait illis S. Petrus: *Authorem vitæ interfecistis.* Act. 3. 15. Quando? cùm clamârunt: *Crucifige, crucifige*, persuasi à principibus sacerdotum, vt Ioan. 19. 6. & 15. non Christus, sed Barabbas liber dimitteretur. Hoc pacto & *Saulus erat consentiens* in Act. 8. 1. necem Stephani. Plurimi, cùm audiunt alijs aliquid mali accidisse, gaudent, approbant, meruisse dicunt: neque id vmquam confitentur; sunt ergo participes peccati alieni. Quantò autem magis peccatum nobis ascribitur, ad quod alium scientes, dictis, factis, aut alia quadam ratione commouemus? An non sic Chore, Dathan, & Num. 16. 31. Abiron perierunt, quando populum concitârunt, vt Aaroni sacerdotium, Moysi principatum auferret? An non vxor Iob sic pec- Iob. 2. 9. cauit, virum prouocans ad Deo maledicendum? Quoties vnus alterum ad potandum, ludendum, libidinandum, digladiandum prouocat? Hæc omnia districtissimè iudicabuntur. Quoties improbitas, aut malefactum alterius commendatur, laudatur, &

quasi res bene gesta, vel continuatur approbatione, vel iteratur? Infinita sunt adulatorum, aut sua etiam in alijs mala probantium exempla. Eò iam ventum est, vt vix quisquam alterum sua mala recensentem, audeat refutare; quin sine præconio, aut encomio talia paucissimi audire audent; ne quod non laudant, damnare videantur. Atqui vel silere ad alienum scelus, peccatum est. Sæpe enim silentium tale vel subdito, vel alteri ingens adfert detrimentum. Si monuisses, correxisses; aut innocentem defendisses. An non Ionas, quia Niniuen noluit verbis castigare, grandem illam passus est tempestatem, & ceto obiectus est, vt nouo carceris genere, per triduum, ipse castigaretur? *Væ mihi, quia tacui*, clamat alter. Væ parentibus, magistris, tutoribus, magistratibus, si ad filiorum, discipulorum, pupillorum, subditorū peccata conticescunt, & piscium instar obmutescunt. Immo, si conniuent, & indulgent, hoc est, quando facultate, vel authoritate sua vitia tollere, emendare, aut vindicare possent, & tamen ea impunita ire, & crescere patiuntur. Saul regi Agag pepercit, & Deum irritauit. Achab rex Benadab regem Syriæ in gratiam recepit,

Ion. 1. 4.
Isa. 6. 5.
1. Reg. 15.
3. Reg. 20.

recepit, & à Propheta audiuit: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus, pro populo eius.* Dici non potest, quantis hîc homines peccatis implicentur, quę non agnoscunt, agnoscet autem illa Deus, & seuerissimè iudicabit, Octauum peccatum alienum est, sępè occultissimum, quando quis scilicet participat de lucro iniquo, quod alius contraxit. O bona iniustè à parentibus acquisita, quoties filios damnatis! facit enim mala hæreditas malos hæredes. Si illi, qui in conuiuio regis Balthassaris biberunt ex vasis aureis & argenteis, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo Hierosolymitano, abusu vasorum peccauerunt; quid continget illis, qui domini fiunt hæreditatis iniustæ? quoties quis nihil dicit de alio, vt alius quoque nihil dicat de se? sic vterque perit; cùm vterque alterum potuisset redimere ab inferno. Scis socium tuum à quinq; annis confessum numquam; taces, nec confiteris te tacuisse. Sic bis malè taces. Denique malæ aliorum voces; verba iniqua, iniuriosa, mordacia, contumeliosa, factaque nefaria, quoties ab alijs excusantur, defenduntur, prædicantur? Hæc Dan. 5.

omnia peccata fiunt excusantium, defendentium, laudantium. At quàm altum in confessione de his silentium? non silebit Deus, cùm ad illius ventum fuerit tribunal. Et hæc alienâ operâ facta in nobis accusabuntur. Quis ambigat, multò magis ea accusanda, quæ ipsi perpetrauimus? Atque ea ipsa quoque & plurima sunt, & occultissima, aut certè nimis luculenta, quæ tamen non videmus, more talpæ; philautia excæcati, ipsi nobis glaucoma ob oculos ponentes.

IX. COGITATIONES IVDICANDAE.

4. Itaque de omnibus cogitationibus nostris rationem reddemus; quamuis illæ sint arcanissimæ. In foro externo, apud Vlpianum, & Iurisconsultos, *Cogitationis pœnam nemo patitur*; in iudicio Dei, ne cogitationes quidem sunt liberæ. Audi Dominum, apud Isaiam loquentem. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Audi ipsum Iudicem: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* En cogitationem peccantem. Deinde vult Deus maximè, vt cor ei præbeamus, ibi potiùs, quàm in corpore habitat; cor ergo mundum exigit spiritus vndequaque purissimus. Quòd si de

Isa. 16.

Matt 5.29

si de quouis otioso verbo ratio est redden- Matth. 12. 36.
da, an non Philosophi docent, verbum aliud
esse mentis, aliud oris? quid DEVS plus
amat, os, an cor; linguam, an animam? an
non queritur: *populus hic labijs me honorat,* Matth. 15. 8.
cor autem eorum longè est a me? Mauult ergò Isa. 29. 13.
cor, quàm labia. Cordis igitur æquè, aut
magis curam habet, quàm oris. Quod si ita
est, vti reuera est; Deus bone, quanta hic
seges rerum iudicandarum? Quot otiosæ;
vanæ, superbæ, impuræ, gulosæ, acediosæ,
inuidiosæ, suspiciosæ, temerariæ, fraudu-
lentæ, tristes, desperatione plenæ cogita-
tiones? quot iudicia temeraria? Et si quis
vel vnius horæ debeat cogitationes omnes
discutere, quanta est difficultas? quid de
toto die, hebdomade, mense, anno, vita
dicam? nulla tam est memoria excellens,
quæ possit harum omnium recordari. Re-
cordatur tamen omnium Deus, & omnes
cogitationes tuas, velut in sacculo con-
clusas, aut in libro annotatas habet. Heu
quot milliones cogitationum in iudicium
adducet, si vnus dies innumerabiles parit!
Heu quàm sæpe irrepit tacitus consensus,
vbi sensus sine consensu esse existimatur! Si
enim leuis concupiscentia, grauis est in viro
iusto

iusto, quid non efficient innumeræ sine vllo fræno cupiditates? Audiamus Hermam, qui S. Pauli Apostoli discipulus fuit, in libro Pastoris à Patribus nominatissimo, de se ipso hæc scribentem. *Qui enutriuerat me, vendidit quamdam puellam Romæ. Post multos autem annos hanc visam ego recognoui, & cœpi eam diligere, vt sororem. Exacto autem tempore aliquo, lauari eam in flumine Tyberi vidi, & porrexi ei manum, & eduxi eam è flumine. Visâq; ea, cogitabam in corde meo dicens: Fœlix essem, si talem vxorem, & specie, & moribus sortitus essem. Hoc solum, nec vltra quidquam cogitaui. Post tempus autem aliquod cum ijs cogitationibus proficiscens, honorificabam creaturam DEI, cogitans, quam magnifica & pulchra sit. Et dum ambulassem, obdormiui. Et spiritus me rapuit, & tulit me per quemdam locum ad dextram, per quem non poterat homo iter facere. Erat autem locus ille in rupibus, & abruptus, & inuius ab aquis. Cumq; transissem locum illum, veni ad planiciem: & genibus positis cœpi orare Dominum, & confiteri peccata mea. Et, orante me, apertum est cælum, & video mulierem, quam concupiueram, salutantem me de cælo, & dicentem: Herma, aue. Et ego prospiciens illam dico ei: Domina, quid tu hic*

Hermas lib. 1. Pastoris, visione 1. Orig. l. 1. περὶ ἀρχ. cap 2. & 3. Athanas. lib. de Incarn. Euseb. lib. 3. hist. Eccl. c. 3. Hieronym. in Catalogo Script. Eccles. Theodoret. lib. 1. Eccl. hist. cap. 8.

hic facis? At illa respondit mihi: recepta sum huc, vt peccata tua arguam apud Dominum: Domina, inquam, num tu me argues? Non, inquit. Sed audi verba, quæ tibi dictura sum. DEVS, qui in cælis habitat, & condidit ex nihilo ea quæ sunt, & multiplicauit propter sanctam Ecclesiam suam, irascitur tibi, quoniam peccasti in me. Respondens dico: Domina, si in te ego peccaui, vbi, aut quo in loco, aut quando tibi turpe verbum aliquod locutus sum? nonnè semper te quasi Dominam arbitratus sum? nonnè semper te reueritus sum, velut sororem? quid in me comminisceris hæc tam nefanda? tunc illa arridens mihi ait: In corde tuo ascendit concupiscentia nequitiæ. An non videtur tibi viro iusto iniquam rem esse, si ascenderit in corde illius mala concupiscentia? peccatum est ei, & quidem grande. Iustus enim vir iusta cogitat. Cogitante ergo illo, quæ iusta sunt, & rectè eo incedente, in cælis propositum habebit Dominum in omni negotio suo. Qui autem nefanda cogitant, in cordibus suis mortem, & captiuitatem sibi assumunt: maximè ij, qui sæculum hoc diligunt & gloriantur in diuitijs suis: & qui non exspectant futura bona, vacuantur animæ eorum. Hæc autem faciunt dubij, qui non habent spem in Domino, & contemnunt, & negligunt

vitam

vitam suam. Sed tu ora ad Dominum, & sanabit peccata tua, totiusq; domus tuæ, & omnium sanctorum. Postquam autem locuta est verba hæc, clausi sunt cæli. Et ego totus eram in mœrore, & metu, & dicebam intra me: Si hoc mihi peccatum adscribitur, quomodo potero saluus esse, aut quomodo exorabo Dominum pro peccatis meis abundantissimis? quibus verbis rogabo Dominum, vt mihi propitius sit? Hæc de se ipso Hermas, vir Apostolicus, in quo si cogitatio tam in speciem leuis adeò strictè est trutinata, quam censuram patientur, fornicationes, adulteria, incestus & omnis generis fœditates, cum diligentia cogitatæ, quæ in iuuenum quorumdam cordibus nidulantur? *Fornicatores enim & adulteros iudicat Deus.* *Age ergo frater*, ait Ecclesiæ Doctor, *esto correctus. Times, ne te inscribat inimicus, & nō times, ne te iudicet Deus? Vbi est fides? Time, cùm est quando timeas. Longè est quidem dies iudicij, sed vniuscuiusq; hominis dies vltimus longè esse non potest, quia breuis est vita. Et quia ipsa breuitas semper incerta, quando sit dies tuus vltimus, nescis. Corrige te hodie propter cras.*

Hebr. 13. 4. S August. serm. 16. de verb. Domini.

X. Hinc merito eti-

In vitis PP. *Frater interrogauit Ammonem dicens: Dic mihi aliquod verbum. Dixit ei senex:*

nex: *Vade, & talem fac cogitationem tuam sicut faciunt iniqui, qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines: Vbi est iudex, & quando veniet? & in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Ita & monachus debet semper suspectus esse, & animam suam obiurgare, dicendo: Væ mihi, quo modo habeo astare ante tribunal Christi; & quo modo habeo ei actuum meorum reddere rationem? Si igitur semper sic meditatus fueris, poteris saluus esse.* Ad eumdem modum dixit abbas Elias: *Ego tres res timeo; Vnam, quando egressura est anima mea de corpore: aliam quando occursurus sum Deo: tertiam, quando aduersùm me proferenda est sententia.* Quæ etiam admonitio fuit D. Chrysostomi. Ita enim loquitur. *Nequaquam diuitias quæritemus, neq; paupertatem vitemus: sed priùs quisq; nostrûm curemus atq; ornemus animam, eamq́; accommodemus ad præsentis vitæ dispensationem, atque ipsam, quam hinc facturi sumus illuc profectionem. Adhuc enim modicum, & probatio vniuscuiusq; nostrûm fiet, cùm omnes adstabimus tremendo Christi tribunali, proprijs actionibus induti, & oculis intuebimur eas, partim nimirum lachrymas orphanorum, partim viduarum suspiria, inopum querelas, rapinas pauperum, turpes luxurias,* quibus

AM PII TE MENT. Heribert. Rosyveid. lib. 5. vit. PP. libell. 3. §. 2. & 4.

S. Chrys. hom. 4. de pœnit.

quibus nostras inquinauimus animas. Non hæc autem modò, aut his proxima; sed si quid im- concinnum mente tractauimus, quoniam & ipse Hebr. 4.12 *mentium scrutator, & cogitationum iudex: Et* Ps. 7. 11 *iterum: Scrutans corda, & renes Deus: Et:* Matth. 16. 27 *Reddens vnicuiq; secundùm opera sua.* Ob hoc iudicium, nulla vanitate gloriæ titillatur iustus, etsi ab alijs laudetur. *Pensat namq; quia ego sum scrutans corda & renes, qui non iudico secundùm faciem, & humanam apparentiam. Nam sæpe in oculis meis reperitur culpabile, quod hominum iudicio creditur laudabile,* ait Dominus, apud pium authorem. Thom. de Kemp. l. 3. de imit. cap. 46.

XI. VERBA ET DICTA IVDICANDA.

5. Qui in scholis Grammaticen docent, omnia puerorum verba, omnes syllabas ad amussim examinant. Idem faciet summus ille Iudex, qui id antè commonens, *Dico* Matth. 12. 36. *autem vobis*, ait, *quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij:* dies autem Iudicij non est tantùm vltimus ille, sed is quoque, qui vitam hominis claudit. Itaque, vt D. Gregorius ait: *Sic Deus vias nostras considerat, & gressus dinumerat, vt ne minimæ quidem cogitationes, ac verba minutissima, quæ apud nos vsu viluerunt, eius iudicio indiscussa remaneant.* Eat Arithmeticus, & numeret verba S. Gregor. lib. 21. moral.

verba vnius loquacis puellæ, aut garruli senis otiosa, quæ aut illa in foro cum socia effutit, aut iste toto die, in domo hospitali, ponè fornacem, serit. Quis numeret totius vitæ decursu sermones otiosos? Quòd si hîc thesaurum colligimus; quid negotij nobis non facessent verba præcipitata, & inconsideratè, non sine alterius vulnere prolata? verba ventosa & gloriosa superbiam olentia; famam lædentia proximorum; verba spurcidica, prætextata, inuerecunda, lupanari digna? verba concitata, & iracunda, contumeliam vibrantia, infamiam, detractionem, ignominiam vehentia secum; falsa, ficta, simulata, mendacia; adulantia, affectata, ironica, vana, blasphema, sacrilega? Nulla vmquam Camerina tantam protulit fœditatem, quantam os, velut *sepulchrum patens*, in omnem fœtorem licentiamq; effusum. Quis hîc numerum ineat istorum verborum? Deus inibit hunc numerum, ad quem Iob ait: *Tu quidem gressus meos dinumerasti. Signasti, quasi in sacculo delicta mea*; quamuis *super capillos mei multiplicata* sint, vt in se Dauid agnoscit; aut *super arenam*, vt rex Manasses deplorat. Etsi ergo magnum os anni, vt aiunt, maior tamen est memoria Dei.

Psal. 5. 10.

Iob. 14. 16.

Psl. 39. 13.

2. Paralip. in fine.

XII. VERBA AVDITA, ET OMNIVM SENSVVM OBIECTA EXAMINABVNTVR. 6. Verba autem non tantùm expendentur, quæ ex ore nostro prodierunt, sed etiã, quæ per aures nostras sunt admissa. Neque enim loqui tantùm turpia turpe est, sed etiam audire. Audire vanitatem, audire religioni aduersa, audire quæ repugnant iustitiæ, charitati, veritati, honestati, hæc omnia pertinent ad diuinum tribunal. Quemadmodum etiam deliciæ odoratus, peregrini odores, aromata, balsama soli voluptati quæsita: lautitiæ item mensarum, & gustûs blandimenta. Sed præcipuè videndi tangendiq; inconcessa curiositas. Ita mors vndique intrat per fenestras. Et verò quando, cùm vigilamus, non aliquo, immò etiam pluribus horum sensuum occupamur? Quantis autem excubijs opus est, vt rectè ijs occupemur? Ita per omnia ostia aut intrant in nos, aut exeunt peccata, quæ omnia Deus habet in numerato. Vnde ait: *Scio opera tua,* Et sciui dudum. *Hæc fecisti, & tacui,* Iam non tacebo.

Ps. 49. 21.

XIII. OPERVM IVDICANDORVM VARIETAS, ET MVLTITVDO. 7. Cetera verò opera quot vel classes habent, & classes singulæ, quàm magnum numerum flagitiorum? Nam & septem peccata capitalia, septem classes sunt, vnde copiæ istæ educuntur; & ea quæ decem Dei,

Deì, ac quinque Ecclesiæ præceptis, itemq; quæ Misericordiæ vel spiritualibus vel corporalib⁹ operibus aduersantur, magna silua sunt, vnde ligna cæduntur ad purgantes, vel sempiternas gehennæ flammas nutriendas. Quot opera fiunt ad nullum bonum, sæpe etiam ad malum finem, destinata? Quoties in gratiam hominum facimus, quæ Deo scimus displicere? Quoties caussa agendi hominibus est libido, auaritia, ambitio? quoties in modo exceditur? quoties neque locus, neque tempus debitum obseruatur? Quoties negotium aggrediuntur homines conscientia reluctante? Pietas cum tædio, vitia cum feruore animique contentione summa exercentur. Plurimis regula agendi est priuata commoditas, sensus, voluptas. Quis numquã superbit? quis semper est liberalis? quis nullo liuore carpitur? quis numquam ira commouetur? quẽ caro non titillat subinde, & vellicat? etiam sanctissimos subinde philautia, subinde gastrimargia, subinde spiritus acediæ impugnat. Iam quas non spes, quas non desperationes, quas non perfidias, errores, fraudes; quæ non periuria, homicidia, parricidia, adulteria, furta, rapinas, deprædationes; accusationes

falſas, teſtamentorum corruptelas, in apri-cum proferet ille, qui iudicabit abſcondita tenebrarum?

XIV. NVLLA TVNC IGNORANTIA EXCVSABIT.

Trepidat ſæpe, qui de vno iſtorum, in foro ciuili, accuſatur: quæ formido erit illius, qui pluriũ ſe reum agnoſcet? Et nunc ridemus, iocamur, tantorum talentorum debitores? Non agnoſcis te reum; nihil, ô homo, inuenis, quod confiteris? neſcis quid egeris? Senecam audi: *Quid egeris, tunc apparebit, cùm animam ages.* Nempe ſicut viator, cæca nocte nihil videt, neque ſcit vbi locorum, aut vbi terrarum verſetur, ſed orto die, & ſole clarùm lucente, omnia illi repentè deteguntur, vt ſiluas, campos, pagos & vrbes perſpicuè cernat: ita multi, dum in huius vitæ tenebris verſantur, neſciunt quid agant; at Iudicij diuini luce illis illata omnia quæque reuelabuntur. Ita nec ipſi ſe audebunt excuſare, conſcientia altùm reclamante. *O miſera ſors hominis,* ait S. Auguſtinus, *quum hoc perdidit, ad quod factus eſt! O dirus, ac durus caſus ille! Heu quid perdidit, & quid inuenit? Quid abſceßit, & quid remanſit? perdidit beatitudinem, ad quam factus eſt: & inuenit miſeriam ad quam factus non eſt. Abſceßit, ſine quo nihil felix eſt; & remanſit,*

Senec. ep. 76.

S. Auguſtin. lib. Manual. cap. 31.

remansit, quod per se non nisi miserum est. Abscessit gratia, abscessit auxilium omne; remansit stimulus conscientiæ, remansit fodicans memoria peccatorum: quæ quantò vicinior erit tribunali, tantò magis excitabitur. *Quàm diu hîc sumus*, ait S. Chrysostomus, *anima voluptatum illecebris delinita, tristia ægrè admittit animo: cùm verò migratura est corpore, tunc maiore metu continetur: quippe quæ ad ipsa iudicij peruenerit limina. Ita fermè & latrones, quàm diu quidem in carcere viuunt, absque metu degunt, vbi verò ad velum sisti cœperint, soluuntur metu. Cùm enim pulsare animam metus mortis incipit, ignis instar præsentis vitæ omnia succidens, philosophari eam cogit, & futura solicita mente versare.* Multò magis, id faciet, quando corpore exuta iam iam astabit iudicanda. Omnia tunc occurrent, quæ malè gessit.

S. Chrys. in 2. ad Timoth. hom. 5.

XV. ACCVRATI EXAMINIS TERRIBILE EXEMPLVM

Quòd si vel maximè conscientiæ aliquid excideret (excidet autem nihil) aderunt strenui monitores, Angelus Custos, & Angelus calumniator, fratrumq; suorũ accusator, qui dum librũ non alium, quàm ipsius conscientiæ exhibebunt inspiciendum, ad extremam reum adigent desperationẽ. Quod vel in hac vita, formidabili exemplo, osten-

Beda l. 5. hist. Anglic. c. 14.

dit Deus, & Beda recitauit. In aula Cœnredi regis fauores præcipuos quidam è satrapis aucupatus, de Numinis fauore parum solicitus erat: clarus orbi, charus Regi, inuisus Numini. Pecunia illi pro vita, & regis gratia pro cælo erat. Sed non id rex amabat, ita enim eum amauerat, vt vellet habere meliorem, amoreque digniorem. Et verò etiam alij, qui eum seriò diligebant, seriò monuerunt, vt desisteret à vita tam flagitiosa; turpes magis esse, in pulchro homine mores improbos, dicebant, quàm si in vili sanguine vilem quis animam prostituat. Pericula insuper à Deo irato impendentia commemorabant. Sed raro vanitati assuetæ aures monitis salutaribus sunt apertæ. Itaque ridere ille, & omnia in iocos trahere solebat. Adest iratus Deus, immò clemens, nam vt hominem sanaret, in lectum & morbum abiecit. Non desunt qui moneant, qui ad pœnitentiam hortentur; deest tamen illi animus resipiscendi. Quid confiteretur, qui nolebat vitia sua relinquere? Ne tamen lapis videretur, subinde promittebat, se velle confiteri. Frigida promissio effectu caret. Venit Rex ipse, ostendit, ipsa vi morbi eum moneri, vt pœniten-

tiam

tiam agat. Numquam magis opportunum, immò necessarium esse conciliandi se cum Deo tempus, quàm cùm ægrotamus. Quid ab aulico expectes, nisi spiritum aulicum? Respondet æger, gratias se habere Regi, ob tantam sui miselli curam; videre se, quæ dicta sunt, vera esse, non abhorrere etiam animum suum, facere ea, quæ sunt Christiani: Ceterùm magnis se moueri momentis, vti Confessionem in aliud tempus differat. Nam sano vires fore maiores; &, morbo abiecto, omnia accuratiùs posse peragi. Aulicos insuper omnes, communi more, pœnitentiam suam in cachinnum tracturos; dicturosque, non nisi mortis timore fieri ista. Eò aulæ proficiunt, vt sapere ignominiosum arbitrentur. Abit Rex, re infecta. Ægro etiam vires abeunt, & spreta animæ medicina corporis morbus, velut incendiũ, inualescit. Ad extrema iam ventum erat, cùm iterum humanissimus Rex ægrum inuisit, iterum illi aurem vellit. Sed incendijs, cùm præualuerunt, frustra aqua affunditur. Æger enim actum esse clamat, verba perdi, si moneatur; iam conclamatum esse de sua salute. Insanire eum morbo arbitratus Rex solari incipiebat. Sed solatium omne iubet

facessere æger, protestaturque, nihil sibi de mente diminutum esse; quidquid dicat, dicere se à conscientiæ tormento adactum, clamat. Vtque rem confirmet, gemini, ait, iuuenes humana forma augustiores, non ita multò priùs ad lecti caput adstitêre, quorum vnus exiguum sanè codicillum ante oculos meos aperuit, inspiciendumque dedit. Legi in eo clarè, quidquid vmquam in vita mea boni aut præclari gessi. Verùm prô dolor, quàm is numerus paruus, quàm facta ipsa parum generosa & ardua fuerunt! Nec mora, cùm ingens Alastorum cohors ad me, per ianuam, sanè tumultuosè penetrauit, iacentemque vndique cinxit. Horum vnus non iam codicillum, sed codicem immanem, crassum, & longum, & planè horrendum mihi exhibuit, à prima pagina vsq; ad libri finem peruoluendum. Heu mihi, quæ ibi non vidi? quæ non legi? quidquid vmquam scelestum commisi, quidquid impium dixi, immò quidquid & illicitum cogitaui, ibi reperi grandibus litteris annotatum. Volumine hoc perlecto, cacodæmones ad ephebos conuersi: Ite, inquiunt, eum talem vobis asserite. Mox ephebi, fatemur, aiunt, vester est, ducite. Dixerunt, & videri am-

ri ambo desierunt. Hæc recensuit æger, & adiecit: Post ista, ita sum desperatus, vt non tantùm hos accusatores meos extra me patiar, verùm etiam vt sentiam intra me ipsum conscientiæ me lacerantis horribiles torturas. Conclamatum est de me, perij, nullus sum, æternùm damnabor, diducit Infernus os suum, jam iam me deglutiet. Inter has voces tam egregias animam expuit; postquam ipse adhuc viuus crimina sua vel obiter legit. Quid faciet anima, cùm audiuerit, in altera vita longè accuratius, coram diuino tribunali, ab Angelo suo, ab hoste suo, à sua conscientia, omnia crimina sua recitari & accusari? Fingat sibi peccator codicem talem, & nunc legat, quæ in eo malè exarauit, dum tempus est corrigendi. In Iudicio erit tempus patiendi; neque vlla syllaba libri illius poterit expungi, aut oblitterari. *Quod scripsi, scripsi*, audietur; nihil quod factum est, poterit negari, *testis facti est ipse iudex, accusatrix facti ipsa conscientia*, ait S. Augustinus. Io. 19. 22. S. August. serm. 49. de temp.

CAPVT XV.

Animæ accuſatæ miſeria.

I. MORIENTI MVLTI ADSVNT; IVDICANDA ANIMA SOLA ERIT.

HÆc tot, & talia, & tam manifeſta, ſub hoc Iudice, & ab his tam claris teſtibus cui objicientur? Animæ peccatrici. Quæ vtique iudicanda huic Iudicio aſſiſtet. Et aſſiſtet non ſolo corpore ſpoliata, ſed omnibus etiam rebus alijs, quæ ſub ſenſum cadunt. Nihil habebit ſecum, præter ſuas actiones: illæ ſolæ mortuos comitantur. *Operа enim illorum ſequuntur illos.* Tametſi enim decumbentis lectum multi domeſtici, multi ſæpe & vicini, & cognati, & familiares ſoleant circumſtare; tametſi Parochus adeſſe, aut Confeſſarius, atque Religioſi etiam è vita decedenti, & vel orationibus vel pijs acclamationibus ſuccurrere trepidanti, eumque animare; co tamen momento, quo anima à corpore diſſoluta domum ſuam deſerit, ſola relinquitur, neque poteſt quiſquam ex amicis cum ea ire, aut ei manum porrigere auxiliatricem, contra ſententiam iudicantis. Igitur par erit conditio omnium. Sola anima ſtabit ante Iudicem tremendum; & æquè ſola anima Imperatoris, ac anima aratoris; anima

Apoc. 14. 13.

ma Principis, ac anima ciuis; anima Crœſi, ac anima Codri; anima Platonis, ac anima ruſtici. Omnis potentia, omnes opes, omnes dignitates hîc manent; nihil hæc omnia tunc afferent aut ſolatij, aut adiumenti, fortaſſe autem plurimùm ad ſalutem impedimenti. Artes & ſcientiæ in vita acquiſitæ tametſi animam non deſerant, nihil tamen tunc iuuant. Aliud genus remi tunc erit. Non enim tunc ſcientia, ſed opera iudicabuntur.

Cogitemus ergo, quid anima, ante Chriſti Domini thronum, tot delictis flagitijſq; obnoxia, & velut ferreis innumerabilium peccatorum catenis compedibuſque vndiq; vincta conſiſtens, agat; quo ſenſu tunc, quanto timore, ac tremore ſententiā ſuam expectet? Vbi tunc famuli, qui ſuccurrant? vbi milites, qui defendant? vbi turba conſanguineorum, quæ *Euge, Euge* acclamet? ſtat anima ſola, velut reus è carcere elapſus, & deprehenſus; iacet corpus, tamquam deſerta domus, nihil hoc illam, aut illa iſtud poteſt iuuare: Quin neque anima ſeipſam, ſi eſt rea. Eloquentiſſimus Cicero, pro Milone dicturus, obmutuit, non tam eloquentiæ, quàm cauſſæ diffidens. Curtio authore,

II. OBMVTESCET TVNC ELOQVENTIA.

Q. Curtius l. 7. hist. cap. 1. re, *Lycestes apud Alexandrum Macedonum regem, à duob. indicib. delatus, tertium annum custodiebatur in vinculis. Demum è custodia eductus, si quid haberet suæ causæ profuturum, iussus est dicere. At ille quamquam toto triennio meditatus erat defensionem, tamen hæsitans, & trepidus, pauca ex ijs, quæ composuerat, protulit. Ad vltimum non memoria solùm, sed etiam mens eum destituit. Nulli erat dubium, quin trepidatio conscientiæ indicium esset, non memoriæ vitium.* Ite, leguleí; qui quadrata pro rotundis nostis vēdere; qui causam omnem nostis, apud homines, pulchram facere; non triennio, sed per totam ætatem fingite strophas, excogitate tropos, leges torquete; è corporis custodia educti, ante diuinum tribunal, in lapidem obstupescetis, Hærebit vobis aqua: verbum mutire non poteritis. Quemadmodum scelesti illi duo senes, à Daniele deprehensi, licet senatorij ordinis, licet legisperiti, licet exercitati essent dicendo, tamen illico obmutuerunt. Et seruus ille nequā, qui misereri conserui sui noluit, à Domino traditus tortoribus ne hiscere quidē ausus est; nedū comperendinationem petere, aut ad altiorem prouocare potestatē. *In criminibus notorijs*

Daniel. 13 55.

Matth. 18. 30.

rijs non admittitur appellatio, etiam in nostris iudicijs. In diuino iudicio omnia erunt notoria, & altior potestas non erit, quam tunc iudicantis. Quid igitur reus dicet nisi illud? *turbatus sum, & non sum locutus.* Psal. 76. 5.

III. NVLLI EFFVGIO ERIT LOCVS.

In nostris iudicijs, quot sunt effugia, diuerticula, exceptiones? Nullum ibi erit effugium, nullum diuerticulum, nulla exceptio. Quò fugiet misera anima? Vbique est Iudex. Quò diuertet? patent omnia. Contra quem excipiet? authoritas est omni exceptione maior. In nostris Iudicijs, prima est malorum regula: *Si fecisti, nega.* Quid ibi negabis, vbi omnia sunt lux meridiana? Dicet tibi Angelus, *Nega, si potes:* dicet diabolus: *Nega, si potes,* dicet ipsa tua tibi conscientia; *Nega si potes.* In nostris iudicijs quot crimina ignorantur? velantur? obscurantur? extenuantur? excusantur? defensantur? Nihil consuetius est, quàm leges in diuersum citare, rotare iura; fingere iustitiam, flagitium in alium deriuare; fœdissimis vitijs nomina virtutum indere; culpam nullam agnoscere; accusare accusantem; mille rationes obtendere, denique omnia vestire titulo aut necessitatis, aut honestatis; ita vt vix vllum reperias reum, qui se reum esse fatea-

fateatur. Rebus obscœnis venusta nomina dantur. Nulli plagæ deest emplastrum. Nemo est tam stupidus, quin inueniat caussam, vel colorem delinquendi. Veritati vis infertur. Mendacium triumphat. Fraude, simulatione, fuco omnia palliantur. Hæc talia plerumque ita teguntur, ita comuntur, vt non possint deprehendi. Ibi, apud omniscientem, nihil ignorabitur, nullum velum, nulla caligo, nullæ tenebræ, nulla extenuatio, nulla excusatio, aut elusio locum est habitura. Non ibi regula erit Lesbia, non tortæ legum interpretationes. Stabunt iura; fixa erit iustitia; *vnusquisque onus suum portabit*, neque maculam suam poterit alteri affricare. Erit suum cuique Vitio nomen, nec vocabitur astus prudentia; nec vis potentia nominabitur. Qualis quisque erit, talem se agnoscet, nec negare poterit. In propatulo erunt omnia peccata cum ipso peccatore. Quid multis opus est? stabit peccator, & cum ipso tota turpitudo. Nuda erunt omnia oculis & Dei, & rei; tamquam si cui vestes detractæ; tamquam si adempta larua, tamquam si fucus abstersus, tamquam fasciæ vlceribus submotæ; tamquam si sanies pestilentissima detecta; tamquam si ipse Ache-

Gal. 6, 5.

Acheruns esset patefactus, lumineque admisso, manes trepidarent.

Quo modo igitur anima tum affecta erit? quæ audita tot tantorumque criminum accusatione, clarissimè non solùm à diuinis oculis videri tantam suam fœditatē sciet, sed ipsa etiam distinctissimè eam aspiciet? An non Dei patientiam admirabitur? qui non statim ad primum peccatum iram suam effudit? sed tot annos pœnitentiam illius expectauit, & tam æquo animo in sordidissimis peccatis iacentem tolerauit? Difficile est nobis vnam illatam iniuriam tacendo premere; difficilius est concoquere repetitam. Quòd si iniuriæ super iniurias millies addantur, & inimicus quotidie nouas artes excogitet nos sauciandi, iam intolerabile videtur. Quid igitur anima tunc intelliget Deum sentire, cuius patientia si non fuisset infinita, non potuisset toties & tam proteruè sibi illatas iniurias sustinere. Sustinuit. Sed sicut torrens impeditus, collectis aquis, vehementiùs erumpit, ita erumpet ira Dei, & vertetur in furorem. Infinitum hunc furorem videbit anima impij ante tribunal Christi constituta. An non habebit caussam obmutescendi, & formidandi? An

IV. INIVRIAE IN DEVM CVMVLATAE INDICIVM ACVENT.

non

Iob. 4. 14. non dicet: *Pauor tenuit me, & tremor, &
omnia ossa mea perterrita sunt?

V. Si vnicum peccatum est instar *lapidis mo-*
Luc. 17. 2. *laris*, aut *mola asinaria collo appensa*, quæ ho-
Matth. 18. 6. minem in imam Tartarorum abyssum tra-
ITEM SCELERVM MVLTITVDO. hit demergitque; quantum pondus tunc
sentiet anima, quæ videbit, peccata sua,
super capillos capitis, aut arenas maris esse
Apoc. 18. 21. multiplicata? quàm vehementi se *impetu in*
mare, seu profundum Inferni animaduertet
mox præcipitandam? Omnia peccata suprà
recensita, aut etiam plura; sanè ea, quæ pa-
Isa. 58. 9. trauit, deprehendet, esse velut *catenam* fer-
ream innumeris annulis contextam, tantæ
prolixitatis, vt vsq; ad infimum damnato-
rum carcerem porrecta, partim pondere,
partim firmitate ibi æternùm alligatura sit
damnatam. Nam si vnica Angelorum su-
2. Petr. 2. 4. perbia cum *rudentibus* seu nauticis funibus
comparatur, quibus nobilissimi illi spiritus
è summo cælo in imam Tartari voraginem
detracti sunt; qualis catena erit è tot pecca-
tis, quibus eiuscemodi anima constringitur,
conflata? I nunc, Peccator, cumula tua
peccata; egregium tibi thesaurum reseruas
in iudicium, si pœnitens aues non vis nan-
cisci meliores.

Pla-

Planè talis anima aliud cogitare non poterit, quàm se esse seruum illum obæratissimum, qui *decem millia talentorum* debeat, neque habeat, vnde reddat; immò qui habeat Dominum irritatum & iratum, à quo mox sit tradendus tortoribus: eoq; magis, quia illi debita hæc à Deo non tantùm semel, sed sæpissimè fuêre dimissa; nec tamen se ad frugem recepit, aut emendauit; sed eâdem velut chordâ oberrans, eadem rursus semper contraxit, atque ingratissima mente, velut certamen quoddam instituit, cum tam benigno Domino, sæpiúsne ille veniam tribuere, an illa peccare posset? Quare similem se esse videbit *cani ad vomitum reuerso*, & *sui lota ad volutabrum luti redeunti*; hominique qui in fœtutinam prolapsus, sordibus vndique conspurcatus & coopertus est; aut Laocoonti serpentibus quà quà cincto; aut cadaueri putrido vermibus ac fœtoribus vbique scatenti, & ebullienti. Sibi ipsi igitur horrorem, Deo nauseam mouebit.

VI. ITEM INGRATITVDO. Matth. 16. 24. Prou. 26. 11. 2. Petr. 2. 22.

Hæc si videbit, vti videbit euidentissimè, an non, vel se iudice, dignam existimabit, quæ ex ore Dei euomatur, & in abominandam Phlegethontis cloacam, olidissimisque damnatorum corporum fimetis plenum inferni

VII. ET NAVSEA DEO MOTA.

ferni barathrum proijciatur? Nemo potest tam horribiles sibi canes, tam auidos molossos, tam tetros serpentes, tam feroces tauros, tam cruentos leones, tam Tartareos dracones imaginari, quàm anima illa imaginabitur sibi lictores illos, à quibus acceptâ Iudicis sententiâ, erit abripienda in rogos numquam extinguendos. Abripietur autem, quàm primùm eam Deus ex ore suo euomuerit. Cur non euomeret, cuius *oculi mundi sunt, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem, sine horrore, non poterunt?* Si ergo vel tepidè amantem *euomere incipit ex ore suo*, quantam illius nauseam sentiet, qui plenus est iniquitate?

Abacuc. 1. 13.

Apoc. 3. 16.

Virgil. l. 12 Æn.

VIII. SANGVIS CHRISTI TVNC CONTRA PECCATORES CLAMABIT.

Apud nobilem Poëtam, vbi *incidit ille*

Ingens in terram duplicato vulnere Turnus,
Ille humilis supplexq; oculos, dextramq; precantem

protendens, orare cœpit, victumque fassus, vitam petere. *Stetit acer in armis*

Æneas voluens oculos: dextramq; repressit.
Et iam iamq; magis cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero cùm apparuit alto
Balteus: & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quẽ vulnere Turnus
Strarat.

Strauerat: atq; humeris inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquam saui monimenta doloris,
Exuuiasq; hausit: furijs accensus & ira
Terribilis, Tune hinc spolijs indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat: & pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum aduerso sub pectore condit
Feruidus.

Moriturus mitissimus Dauid accito ad se Salomoni, inter cetera, dixit: *Tu queq; nosti, qua fecerit mihi Ioab filius Saruia, qua fecerit duobus principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether; quos occidit & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in balteo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius. Facies igitur iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Sic Deus Pater non moriturus, sed de morituris, loquitur ad Christum Filium suum. Si enim impius moritur, effundit sanguinem belli (quod pro mundo Christus bellauit, in sua Passione) in pace; nam iterum Christum 3.Reg.2.5.

crucifigit, & sanguinem eius ita effundit, vt se eo non lauet, aut ornet, sed contaminet, & damnet. *Irritam quis faciens legem Moysi,* inquit D. Paulus, *sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? in quo sanctificatus est, & spiritui gratia contumeliam fecerit?* Videbit enim Deus Pater sanguinem Filij sui, in balteo, & in calceamento talis hominis, quia videbit eum redemptionis suæ pretium contempsisse, & pedibus conculcasse; adeoque Christum quasi frustra pro eo laborasse, pugnasse, expirasse; non quòd sanguis ille effusus ex se non fuerit efficax, sed quia, ne efficax esset, ipse peccator effecit, qui eum noluit sibi per fidem, per pœnitentiam, per SS. Eucharistiæ vsum, per cetera sacramenta applicare. Nonnè hoc est cruore balteum maculare, & pedibus sanguinem Christi conculcare? Quæro igitur, quo modo affectus sit Pater erga eum, qui ita Filij sui sanguinem tractauit? immò in cuius vestibus clarè videt Filij sui sanguinem, velut recentem adhuc fumare? An non debet Filio suum Iudicium mandare, vt, iuxta sapien-

Hebr. 10. 28.

tiam

tiam & potestatem suam, non deducat canitiem eius pacificè ad inferos? Iam verò ipse Filius, quo modo potest, iudicij tempore, erga talem affectus esse? *Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius*, ait Isaias: immo ipse Iudex, apud Oseam, *Occurram*, inquit, *eis, quasi vrsa raptis catulis*. Rapiunt enim peccatores cælesti Patri, non iam catulum, sed Filium; & Filius videt sibi è venis sanguinem raptum; totus ergo erit in furore, & sanguinem pro sanguine exiget. Isa. 66. 15. Osee 13. 8.

IX. ET ILLI SANGVIS, QVI CLAMABIT PRO IVSTIS.

Hoc videns anima, quid in se, aut quales motus experietur? an non sanguis Christi, sicut sanguis Abel, contra illam ad cælum clamabit? Clamabit vtique vindictam, vindictam; & plus quàm potenter contra eam perorabit. Sicut in aduersa parte, pro iustis cælestem Patrem exorabit. Ostendet enim sanguis ille, se non in balteo, sed animo; non in calceamento, sed in iugi amore & honore ab illis positum; vsurpatum assiduè in diuinis Sacramentis; adhibitum non ad perniciem, sed ad salutem. Hoc ipsum etiam videbit anima impij, vt tanto magis doleat, & intabescat, si intelligat, sanguinem Redemptoris, qui alijs salutem attulit, nunc suum esse accusatorem & damnatorem.

rem. O infelix anima! ô mare calamitatis! ô abyssus miseriarum! Hîc stas, ante tribunal. Cælum atris nubibus obductum vides, quale, obsecro, tonitru, quantum fulmen expectas mox in te vibrandum; quæ cum spe & gaudio coronam gloriamq; sempiternam expectare debuisses? Heu mihi, cur talem animam imitor? Vtinam, vtinã, anima mea, tempestiuè ab huius semitis recederes! Nimis tibi durum erit sic Iudicis sententiam expectare. Surge de luto, suscitare de sepulchro; & aliorum exemplis, disce iudicium fugere, quod formidas.

X. PATROCINIVM SANCTORVM NON NEGLIGENDVM. In vita S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis lib. 1 c. 35. apud Sur. 4. Decemb. & Marian. Scotus in

Quòd si adeò es debilitata, vt surgere non possis, secundarios iudices exora; illos tibi concilia, vt summum Iudicem tibi reddant mitiorem. Sæpe profuit in hoc quoque iudicio, patronos habuisse; sed in hac vita comparatos. Andreas quidam Romæ degebat, homo socors; nullius operæ, sed magnæ opulentiæ, diuitijs delitijsq; totus immersus. Is cùm animam oneri, corpus haberet voluptati, spreto virtutis angusto calle, viam perditionis elegit. Itaque, præter nomen Christiani, sicut in statua, nihil ei erat additamenti, nisi quòd S. Cæsario martyri addictus, ædes illi sacras sæpiùs adi-

no, cereosque ei accendere solitaret. Talem mors occupauit antè, quàm dilueret, quod malè perpetrârat. Aderat illico ingens turba amicorum flentium & plangentium, corpusque tristi obsequio in feretro componentium. Ceterùm, vt omnia ad funebrem pompam commodiùs pararentur, sepultura eius in alterum diem reijciebatur. Neque tamen deerant, qui excubarent, & nocturno cantu lessum celebrarent. Nox, & tenebræ, & solitudo, & mœstus animus omnia dira fingens, magnum sunt timoris incrementum. Sed tunc aliud accessit, quod metum auxit. Extractis ad medium noctis excubijs, fatigati iam, vel precando, vel canendo, cœperunt dormitare; silentiumque ipsum erat formidolosum. Et ecce, alto stupore perfusi, audiunt nescio quem motum, sensibusque integris redditi, vident sandapilam, in qua iacebat mortuus, moueri. Mox exanime cadauer, vt putabatur, caput sensim attollebat; tandemque resedit, huc atque illuc, seuero vultu, circumspiciens. Alij exclamare, alij fugæ præsidiũ arripere, omnes mente consternati trepidare. Diu ea tenuit confusio rerum. Sed vbi se se ex metu collegerunt, mutuò ani-

Chron. Mortuus est Anno isti Christi an. 1075.

mati, præſertim prudentiores, fiduciâ ſumptâ, nonnullis procul ſtantibus, alijs per ianuam introſpicientibus, propiùs acceſſêre; conſideratoque etiam atque etiam reſidentis vultu, explorauerunt, quid rei contigiſſet? Tandem auſi ſunt etiam palàm ſciſcitari, ludibrijſne Stygiæ artis faſcinarentur? an, inſueta mortalibus lege, ab inferis rediuiuus emerſiſſet? vel (quod magis erat in ſuſpicione) an languoris immanitate pro mortuo habitus oculos tantùm intuentium fefelliſſet, vitamque non planè amiſiſſet? Ad hæc ille ex imo corde ſuſpirans: Ne, inquit, puteris me, morborum vi mortuo ſimilem iacuiſſe; verè mortuus eram; &, prô dolor, verè quoque perpetuæ damnationis pœnam luerem, niſi Cæſarium martyrem patronum habuiſſem. Anima mea è corpore exturbata, temporis momento, ad metuendum Chriſti tribunal adducta eſt. Ibi Iudicem vidit tremendum; ibi mille agmina ſpirituum Angelicorum; neque tamen oculos confidentiùs in quemquam illorum attolere audebat, vt ſupplex fieret; ſed triſtis & tremebunda, ſeueri Iudicis ſententiam & nigrum theta accipiens, à teterrimis & horrore plenis ſpiritibus,

ad æternæ perditionis flammæq́; barathrũ trahebatur. Omnis tunc spes præcisa, omnis misericordia elisa erat. Incredibilis quædam mœstitiæ nubes mentem omnem obruens occupabat. Hæc cùm diceret rediuiuus, eo vultu dixit, vt facilè appareret, abesse fictionem, simulque pectus palmis feriens, atque identidem cum vberrimis lachrymis ingemiscens. *Illius*, inquiebat, *horæ miseria, nullis dignè exponenda verbis, mei cordis memoriâ numquam elabitur.* Postea in hunc modum perrexit: Peracta iam erat sententia, aut sanè peracta videbatur. Eiulabam ego, & flebam; ridebant atri dæmones, & cachinnabant; quantoque ego magis ærumnas meas deplorabam, tantò illi procaciùs exitijs meis insultabant, meque in perniciem meam raptare atque impellere conabantur. His fluctibus obruto repentina lux affulsit. Inclytus enim martyr Cæsarius, mea calamitate commotus, vnà cum Dei Matre, Apostolis, & toto Martyrum choro, ante Iudicem supplex procubuit, vulnerumque suorum stigmata, carbunculorum instar splendentia, Domino commonstrans, eiuscemodi orationem habuit. *O clementissime Domine, tremendi nominis*

tui caussa, hæc quondam libenter excepi: nec erat in his perferendis, licet caro gemeret, vlla reluctatio mentis; dummodo temporalium tormentorum asperitate corpus semel enecatum, nullis deinceps tristitiæ stimulis vel animam, vel carnem, te Præside, afficeres. Quid itaque te, qui pius es, inspiciente, nouis in corde doloribus denuò premor? Ecce qui meo credulus patrocinio, vitam suam mihi commisit ex integro, præceps impellitur ad inferos; iamque meritò stultitiæ arguitur, qui vana spe seductus me coluerit, vt vitæ suæ gubernatorem, quem in allenandis saltem supplicijs habere non possit intercessorem. His talibus vocibus S. Martyre Christum, coram quo supplex iacebat, compellante, etiam Deipara mater misericordiæ, cum ceteris Diuis Filium suum rogauit, atque ad voluntatem Martyris flexit. Itaque Imperio Iudicis, Acheronticis carnificibus ereptus, & vitæ restitutus sum, vt audito hoc iudicio, meoque exemplo, etiam alij salutis suæ curam gererent impensiorem.

XI. EXEMPLIS AD POENITENTIAM VTENDVM. Talibus dictis perorans rediuiuus, omnes qui aderant, stupore & timore impleuit; peractoque officio monitoris, rursus sese super feretrum collegit, obijtque. Recensuit, & vsurpauit hanc historiam egregius ille

ille doctor, qui postquam omnes suspirijs & anteactæ vitæ pœnitentia compleuit, tandem hunc epilogum addidit. *Et vos, fratres, vosq́; sorores, huius considerationem facti in cordium vestrorum secreta admittentes, ad quemcumq; deuotionis, & seruitij cultum, vos ipsos Sanctis Dei offerte, vt extrema tribulationis angustijs arctati, quemlibet Sanctorum tantò latior quisque vestrûm illic patronum experiatur, quanto deuotior hîc in eius vixit obsequio. Quisquis ergo, post baptismum,* ait S. Augustinus, *aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, vsq; adeò sibi inimicus est, vt adhuc dubitet vitam mutare, dum tempus est, cùm ita peccat, & viuit. Nam vtique quòd ita perseuerans peccat, thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Quòd autem adhuc viuit, patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit. Implicatus ergo tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claues Ecclesiæ, quibus soluatur in terra, vt sit solutus in cælo, & audet sibi post hanc vitam, quia tantùm Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri: nec veridicum illud dominicæ vocis tonitruum contremiscit: Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnũ cælorum, &c.*

S. August. homil. 50.

Iudicas

Iudicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores conuertat in melius, ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur.

CAPVT XVI.

Tremendi Iudicis sententia.

I. Q. Curtius l. 3. ALEXANDRI MAGNI FVROR.

CLitus vetus Philippi miles, multisque bellicis operibus clarus; cuius fidei tutelæq́; validissimam imperij partem commiserat Alexander Magnus, contentione in conuiuio orta, iactanti se nimium temulento regi opponere ausus est; eoque & vinolentia & ira prouectus, vt etiam opprobria in eum iaceret, nequidquã, qui proximi ei cubuerant, monentibus eum, vrgentibusq́ue, vt surgeret. Quam ob rem, *tantum ira concepit rex, quantũ vix sobrius ferre potuisset. Enimuerò olim mero sensibus victus, ex lecto repentè prosiluit. Attoniti amici, ne positis quidem, sed abiectis poculis consurgunt, in euentum rei, quam tanto impetu acturus esset, intenti. Alexander, rapta lancea ex manibus armigeri, Clitum adhuc eadem linguæ intemperantia furentem percutere conatus, à Ptolemæo & Perdicca inhibetur. Medium complexi, & obluctari perseuerantem morabantur. Lysimachus*

machus & Leonatus etiam lanceā abstulerant. Ille militum fidem implorans, comprehendi se à proximis amicorū, quod Dario nuper accidisset, exclamat, signumq́; tuba dari, vt ad regiam armati coirent, iubet. Tum verò Ptolomaus & Perdiccas genibus aduoluti erant, ne in tam pracipiti ira perseueret, spatiúmq; potiùs animo det, omnia postero die executurum. Sed clausa erant aures, obstrepente ira. Itaque impotens animi procurrit in regia vestibulum, & vigili excubanti hasta ablata, constitit in aditu, quo necesse erat ijs, qui simul cœnauerant, egredi. Abierant ceteri: Clitus vltimus sine lumine exibat. Quem rex, quisnam esset interrogat. Eminebat etiam in voce sceleris, quod patrabat, atrocitas. Et ille, non iam sua, sed regis ira memor, Clitum se esse, & de conuiuio exire, respondit. Hac dicentis latus hasta transfixit.

Ebrij, & malè iracundi, immò furiosi huius regis facinus, sobriè homines iudicantis Dei est imago. Licet enim Deus se non iactet superbè, tamen *gloriam suam alteri* nec solet, nec potest dare. Sunt tamen, qui Clitum imitentur, eique se se audeant opponere, gloriamque illius in se ipsos atque alios transferre conentur. Cùm enim ille rex sit, & summus, nulli debet rei postponi. Postponis

II. IRA IVDICANTIS DEI.

Isa. 42. 8.

ponit autem eum creaturæ, quiſquis pecca-
to lethali ſe ab eo auertit, conuertitque in-
ordinatè ad creaturam. Hinc ira Dei, hinc
furor iudicis, & quidem tam ardens, vt me-
ritò cum furore incenſi vino poſſit com-
Pſ. 77. 65. parari. Nam & Prophetes ait: *Et excitatus*
eſt, tanquam dormiens, Dominus, tamquam
potens crapulatus à vino. Et percuſſit inimicos
ſuos. Quàm ſæpe, ſicut Clitum, qui proxi-
mi ei cubuerant, monuerunt, vrſeruntque,
vt ſurgeret, iramque regis fugeret, ſed fru-
ſtra; ita Diui cælites, ita concionatores, &
2. Tim. 4. Patres ſpirituales monent, inſtant, obſe-
2. crant, increpant, vt ſurgat è cœno ſuo pec-
Pſal. 59. 6. cator, *& fugiat à facie arcus* diuini? Sed fru-
ſtra. Quàm ſæpe Angelus Cuſtos, Diuus
patronus, Dei Mater Filium ſuum tres lan-
ceas ſtringentem, & iam iam fulminaturum
inhibent? Ergo, ſicut Alexander in regiæ
veſtibulo, & aditu, quo neceſſe erat ijs, qui
ſimul cœnauerant, egredi, conſtitit cum ha-
ſta; ita Chriſtus expectat, donec ex hac vi-
ta exeamus. Amicos impunè ſinit tranſire
in vitam alteram: aut certè, ſi debito adhuc
aliquo tenentur aſtricti, non niſi temporali
pœna ferit; inimicos autem, & qui eum gra-
uiter læſum non placarunt, heu quàm ter-
ribili

ribili telo exeuntes è vita percutit, dum sententiam pronuntiat æternæ damnationis! Vis telum eius cognoscere, vis videre stantem in limine, quo necesse est omnibus egredi? *Non est, qui de manu mea poßit eruere*, inquit. Item: *Si acuero, vt fulgur, gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hostibus meis: & his, qui oderunt me, retribuam: inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Deute. 32. 39.

Quantum vulnus hoc sit, si impij hac sententia percutiantur; aut quantum solatium, si iusti cælo digni pronuntientur; immò etiam si Purgatorio, ad tempus, adiudicentur, cognosci potest, si duo perpendantur; primum, triplicis esse posse differentiæ sententiam; secundum, sententiam non esse obscuram, aut ijs, qui iudicantur, incertam, sed claram & euidentem. Vnde summum, aut gaudium, aut spes, aut tormentum, emergit. Ad primum quod attinet, ex Euangelio clarum est, aliam sententiam huc, aliam illuc ferendam. Sicut enim in nouissimo die diuinus Iudex *iudicandos separabit ab inuicē, sicut pastor segregat oues ab hædis: & statuet oues quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris*; & sicut *tunc dicet rex his,* qui

III. SENTENTIA IN SANCTOS FERENDA.

Matth. 25. 33.

qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi &c. & sicut *tunc dicet his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius &c*: ita in particulari quoque singulorum Iudicio, alia sententia exhilarabit eos, qui in gratia Dei & charitate decedent: dicet enim Iudex: *Veni benedicte, aut benedicta Patris mei, percipe regnum, quod tibi paratum est à constitutione mundi.* Quòd si talis anima nihil omnino habuerit inquinatum, transibit omnino innoxia, sicut amici Alexandri transierunt. Cogetur illico abscedere victus & confusione plenus tentator; triumphabit custos Angelus, ducetque eam secum gaudens in æternæ beatitudinis sedem. O quale erit tunc gaudium in cælo super vna oue reperta, & vnica anima illuc introeunte! Qualis acclamatio omnium reliquorum cælitum iterum intuentium hominem victorem, & socium æternæ societatis! Sed ô quale gaudium erit ipsius animæ? mox enim vt talis anima transmissa est ex hac in alteram vitam, eodem temporis momento, etiamsi nondum sit supra cælum euecta, statim Deum clarè videbit, sta-

tim

tim sciet se, iam esse in portu felicitatis, è procelloso Mundi Oceano; statim noscet, quid fletu, quid precibus, quid eleemosynis, quid ieiunijs & vigilijs, quid vniuersis laboribus suis promerita sit. Gaudebit igitur de securitate, de immortalitate, de claritate, de impassibilitate, de agilitate, de penetrabilitate, de lætissima æternitate. O felix labor, dicet, ô ærumnæ pretiosæ, ô pœnitentia, ô gemitus ô suspiria beata, quæ talem exitum sortiuntur! Hæc sententia, hæc vita, hæc præmia mille mortibus essent emenda. Si ferrum, si rotas, si ignes sustinuissem, non pœniteret: immò si nunc vllus esset dolendi locus, dolerem, me mille martyria non sustinuisse. *Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. 18 Absolutè loquitur Apostolus, & si rem seriò perpendimus, ita est; præstaret enim omnes *huius temporis passiones*, quas vmquam à condito orbe vllus hominũ tolerauit, pati, quàm pati ignem nullis vmquam sæculis extinguendum. Hinc gaudent beati, se ista euasisse; hinc, si possent, dolerent, se non plura sustinuisse, vt plura mererentur.

Eamdem sententiam, sed cum conditio- IV.

SENTENTIA IN PVRGANDOS FERENDA. ne, & limitatam audient, qui tamquam amici Dei quidem, & in gratia, sed tamen cum aliquo debito ex hac vita emigrauerunt. Quia enim in cælestem Ierusalem *non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens,* non intuetur continuò talis anima Deum, sed ab aspectu eius arcetur tamdiu, donec diuinæ iustitiæ plenè satisfiat. Amicè isti quidem sententiam & patienter, sed non sine incomparabili cruciatu accipient. Quantò enim ardentiùs Deum amant, tantò vehementiùs cupient esse cum illo. Et *spes, quæ differtur, affligit animam.* Ægerrimè igitur Dei conspectu carebunt. Et flamma eos adorietur, cum nullis doloribus vitæ huius comparanda. Quantus igitur angor, immò longè maior inuadit homines, qui ad rogum damnantur, in hac vita, tantus animas occupabit, ad purgantes flammas destinatas. Solatur tamen pœnam spes eius finiendæ; qua carent Erebi supplicia, citò nimis, quandocumque tandem sustinenda.

Apoc. 21. 27.

Prou. 13. 12.

Seneca in Her. c. Fur.

> *Nemo ad id serò venit, vnde numquam*
> *Cùm semel venit, potuit reuerti.*

Firm. Lact. l. 7. diuin. instit. c. 21. Firmianus Lactantius vbi sempiternas has flammas descripsit, Purgatorij quoque non tacuit

tacuit mentionem, his verbis: *Sed & iustos cùm iudicauerit Deus, & igni eos examinabit. Tum, quorum peccata vel pondere, vel numero praualuerint, perstringentur igni atque amburentur. Quos autem plena iustitia, & maturitas virtutis incoxerit, illum ignem non sentient. Habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat ac reyciat. Tanta enim est virtus innocentiæ, vt ab ea ignis ille refugiat, innoxius, qui accepit à Deo hanc potestatem, vt impios vrat, iustis obtemperet.*

Longè diuersam sententiam percepturi sunt Dei inimici. Nam gratia Dei, velut scuto bonæ voluntatis, destituti, illo fulmine tangentur singuli: *Discede à me, maledicte, vel maledicta, in ignem æternum.* Hæc est lancea, non iam Alexandri, sed Christi. Ah quàm dira lancea! quàm tremendum fulmen! quàm durum verbum! quàm metuenda vox! quàm irreuocabile decretum! quàm immutabilis sententia! quàm abominanda maledictio? quàm tristis separatio? quàm desperata conditio? quàm misera exclusio? Quàm calamitosa inclusio? Quàm tristes portæ æternales? *Sicuti ciuitatum portæ*, ait Origenes, *proprium quæque nomen habent: eodem modo portæ inferorum*

V. SENTENTIA IN DAMNANDOS

Matth. 25.

nominari possunt iuxta speciem peccatorum: vt vna quidem inferorum porta vocetur scortatio, per quam ambulant scortatores: altera verò negatio, per quam qui Deum abnegant, descendunt ad inferos. Et aliæ complures tales, per quas in æternum carcerem, & ad tenebras exteriores itur. Quemadmodum octo beatitudinum aliarumque virtutum ianuæ ducunt in cælum; quarum vniuersitas per duodecim cælestis Hierosolymæ portas, quas D. Ioannes vidit, est significata. Hæ portæ omnes impijs claudentur; atque in primis illa, quæ est porta gratiæ, porta misericordiæ, porta iustitiæ, quam sanguine suo aperuit Christus, qui dixit: *Ego sum ostium.* Maxima est ærumna, si ab hoc ostio repellamur. Significata est hæc extrema calamitas in illa parabola, in qua Virgines, *quæ parata erant, intrauerunt,* cum sponso,
Matth. 25. 10. *ad nuptias, & CLAVSA EST IANVA. Nouissimè verò veniunt & reliquæ Virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis: at ille respondens ait: Amen, amen dico vobis, nescio vos.* Quid hîc aliud dicitur, quàm, sicut sancti, post hanc vitam, cum Christo ad æternas nuptias intrabunt, ita claudendam cæli portam, vt fatui & iniusti æternùm exclu-

excludantur? O miserrima exclusio! ô hominem non habentem vestem nuptialem! ô misere de conuiuio filij regis eliminatum, & iam iam proijciendum *in tenebras exteriores!* Dicta est sententia; *clausa est ianua:* obseratæ fores. Iam Angelus custos ademptus est; iam omne cessat patrocinium; spes omnis iugulata; auxilium omne peremptũ; actum est; i licet. Etiamsi Iob, Daniel & Noë veniat, non audietur. Etiamsi anima dicat: *Domine, Domine, aperi,* nihil referet, nisi miserum illud: *Nescio te.* Væ animæ, quam Deus omnia sciens nescit: prorsus nulla, prorsus exclusissima erit, in omnem æternitatem. *Clausa est ianua,* quia æternus est carcer, & portæ æternales, quæ aperiri non poterunt, quàm diu Deus erit Deus. Ah tunc, tunc, *in æternum proijciet Deus.* Quia *in inferno nulla est redemptio.* Matth. 22. 13. Ps. 76. 8.

VI. AN ANIMAE DE SVA SENTENTIA SINT CERTAE?

Porrò quanta sit huius sententiæ, seu apud bonos, seu apud malos, vis, tum magis intelligetur, si ad alterum respondeatur, nempe num sententia illa sit incerta aut obscura ijs, qui iudicantur? Præter Lutherum, qui animas dixit esse de sua sententia incertas, nonnulli etiam Catholici existimauerunt, varias esse in Purgatorio pœnas, Luther. art. 38.

interque eas vnam, & quidem omnium maximam, incertitudinem ſalutis, qua aiunt ſola quaſdam animas multari. Tametſi enim reipſa ac certò ſaluandæ ſint, tamen putant eas hoc latere. Ita quidem Dionyſius Carthuſianus, ob aliquas viſiones, quas commemorat. Atque idem cenſet Michaël Baij, probare volens, peccatum veniale mereri ex natura ſua mortem æternam. Infert enim, alioqui animas in Purgatorio certas eſſe de ſua ſalute, quod ei abſurdum videtur: ſcirent enim quædam, ſe nihil illuc expiandum, præter peccatum veniale attuliſſe. Sed abſurdum potiùs eſt, animas id neſcire, ſi quidem verè & abſolutè ſententiam ſuam acceperunt. Nam extra ordinem aliquando differri ſententiam categoricam, & viſione dumtaxat aliqua, ad noſtrum exemplum, percelli, ſuprà diximus. Itaq; communis eſt Theologorum ſententia, animas ſiue ſtatim beatas, ſiue ſtatim damnatas, ſiue ad Purgatorium relegatas, habere certitudinem ſuæ aut ſalutis, aut damnationis. Non enim differtur, niſi rariſſimè atque extra ordinem, ſententia Iudicis. Etſi autem iudicium vniuerſale nondum ſit factum, eſt tamen præter illud, iudicium Particulare, quo animas

Dionyſ. Carthuſ. de quatuor nouiſſ a. 47. Michael Baij lib. 2. de meritis operũ cap 8. Idem ſentit Gerſon lect. 1. de vita ſpirituali, & Ioan. Roffens. contra art. 32. Lutheri.

animas statim à mortè iudicari suprà demonstrauimus, & constanter Theologi tradiderunt. In 4. dist. 47. S. Thom. 3. part. q. 59. a. 5.

Neque dici potest, quòd animę ignorent sententiam Iudicis, etsi lata sit; cùm Iudicium Particulare idcirco fiat præcipuè, vt sententia ei, qui iudicatur, innotescat. Siquidem propter alios instituetur iudicium generale. Propter Deum non est necessarium iudicium, cùm ille omnia nouerit. Quare iudicium Particulare eam solam ob caussam fit, vt ipsi animæ quæ iudicatur innotescat. Certè, licet iudicatis aliter non innotesceret sententia Iudicis, possent tamen facilè per se cognoscere, qualis sit, ab effectu: statim enim se vel in cælo, vel in Purgatorio, vel in inferno reperient. Quamquam omnino, vt dixi, clarissimè sententiam diuinitus intelligent. *Iudicia tua, quasi lux egredientur*, ait Osee. Et Sophonias: *Manè, manè iudicium suum dabit in lucem, & non abscondetur.* Osee 6. 5. Soph. 3. 5.

Triplex autem lux est, seu gradus certitudinis. Prima & summa lux est in meridie, sic prima & summa certitudo est, quæ omnem spem, omnemque timorem excludit; talis est certitudo beatorum, quibus beatitudo VII. Robert. Bellarm. lib. 2. de Purg. c. 4. PRIMA ET SECVNDA

LVX ANIMARVM. tudo non est futura, sed præsens. Cùm ergo quædam animæ, vt martyrum v. g. statim beatitudinis sententiam accipiant sine mora possidendæ, statim Deum etiam incipiunt intueri. Quare dubitare non possunt de sua salute. Si enim possent dubitare, possent timere; si timerent, non essent beatæ. Quare purissimo etiam gaudio inundantur. Altera lux est matutina, quæ incrementum accipit; sic & altera est certitudo, quæ omnem quidem timorem excludit, non tamen omnem spem: talis lux est in mente animæ ad Purgatorium damnatæ, cui beatitudo futura est, non præsens. Vnde hæc certitudo non tollit expectationem. Hæc expectatio quia ardua est, cùm per pœnas ad beatitudinem pertingat eiuscemodi anima, ideò expectatio illius spes potest appellari. Quæ tamen spes non est contingens, sed necessaria; nec enim anima, quæ in Purgatorio Deo satisfacit, aut satispatitur, potest ampliùs ab ea spe excidere, & idcirco tollit omnem timorem. Vnde maxima consolatio existit. Scit enim talis anima, se ad cælum venturam esse.

VIII. ANIMAM IN PVR- Scire volet curiosus lector, possitné saltem dubitare anima, sitné in Purgatorio, aut

aut Inferno? Respondeo, non posse dubitare, tum quia in Purgatorio laudatur Deus, in Inferno blasphematur; tum quia in Inferno non est fides infusa, neque vlla spes, aut charitas, sed confusio, sed desperatio, sed summum odium Numinis; in Purgatorio autem fides adhuc manet, viget spes, gliscit charitas. Quare anima, quæ experietur se cognoscere, sperare, amare, laudare Deum, clarissimè sciet, se non esse in inferno. GATORIO NON POSSE DVBITARE DE SVO STATV.

IX. NEC TIMERE.

Quæret quispiam, an animæ in Purgatorio existentes, timere possint, ne adhuc in infernũ mittantur, licet ibi se nondum esse sciant? Respondeo non posse hoc eas timere; cùm in eis eadem sit fides, quam hîc habuerunt. Atqui hîc cùm essent, ex diuinis litteris crediderunt, lignum quò ceciderit, ibi manere, hoc est, neque è bonis malos, neque è malis bonos fieri posse in altera vita; nullumque, nisi malum in infernum mittendum. Quia igitur anima Purgatorio addicta scit, se amare Deum, idcirco scit se esse bonam; scit itaque, se malam fieri, & adeò damnari, aut ad Infernum ablegari non posse.

X. Neque verò concedendum est Luthero,

NEC PRAE DOLORE INSANIRE. Luc. 16.

animam talem in Purgatorio existentem, ob nimios cruciatus à cognitione sui status impediri, atque ita existimare, se esse in inferno, ob quamdam turbationem, ac desperationem. Si enim anima epulonis, in inferno à cognitione sui status non est impedita, cur anima in Purgatorio existens impediretur? In hac sanè vita, ob nimios dolores subinde homines insaniunt, & rectè non iudicant, at id oritur ex organi corporei læsione. In Purgatorio autem abest omne organum corporeum; pura mens spiritualis & incorruptibilis non potest ita perturbari. Profectò si animæ Purgatorio adiudicatæ se cernerent damnatas, non flagitarent suffragia viuorum, nec dicerent, se, si pro eis oretur, breui liberandas; vt tamen sæpe dixerunt. Ex hac certitudinis sententia, conficitur, animas non solùm in ipso Purgatorio, sed etiam mox à iudicio suo (quamuis Purgatorium plerumq; statim incipiat post sententiæ pronuntiationem) certas esse de sua salute, & adeò esse sine timore, esse cum spe, in Christo requiescere, dormire in somno pacis, hoc est, esse sine anxietate, & desperatione, sed potiùs etiam in Purgatorio ipso, habere admixtam

Apud S. Greg. l. 4. Dialog. cap. 40.

cum summis cruciatibus, propter certam spem salutis, incredibilem quamdam consolationem.

Tertia dehinc lux, est lux vespertina, nocturnis mox tenebris inuoluenda; sic tertius certitudinis gradus est, qui spem, non sine dolore excludit, & à præsenti habetur cruciatu: certus enim est, se vri, qui vritur; & certus est, se damnari, qui damnatur. Igitur quia & lux ipsa clara est, qua anima impij intelligit, se Orco adiudicari, & sensus nō sinit eam nescire suā damnationem, tenebris exterioribus illicò subeuntibus, mox enim à morte corporis infernum, etiā extra infernū adhuc, sentit, si in instanti eò nō potest moueri: quamuis statim in infernū detrudatur, neq; supplicia illius vlteriùs differantur, (vt ex diuite illo colligitur) idcirco non obscura, neque incerta, sed euidentissima est sua damnatio animæ damnatæ. Hinc iam tenebræ, hinc tristitia, hinc desperatio; quia scit clausam esse ianuam. Duodecim portas cælestis illius ciuitatis esse vidit Ioannes: quid igitur? Virgines fatuæ, postquam *clausa est ianua*, venerunt, & pulsarunt dicentes: *Domine, Domine, aperi nobis.* An aliquis venit, qui aperiret?

XI. Tertia animarum lux, de damnatione.

Luc. 16. 22.

Apoc. 21. 12.

Matth. 25. 10.

riret? Venit, qui diceret: *Amen, amen dico vobis, nescio vos.* Sic anima damnationis suæ certa quid aget? *clausa est ianua,* obseratũ illi *cælum* est. Quò curret? quam portam pulsabit, dicens: *Domine, Domine aperi nobis?*

XII. PRIMA CLAVSA PORTA. Hebr. 9. Prima cæli *porta* est *Iustitia*, per sanguinis enim sui meritum Christus ex rigore iustitiæ aperuit cælum omnibus hominibus. Siquidē, *per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* An talis anima illam ianuam pulsabit? *clausa est ianua.* S. Bern. serm. 75. in Cant. *Non descendit ad inferos sanguis, qui effusus est super terram. Biberunt omnes peccatores terræ; non est quod sibi ex eo vendicent dæmones ad restituendos fucos suos, sed neque homines socij dæmoniorum.*

XIII. SECVNDA CLAVSA PORTA. Io. 6. 37. Altera cæli *porta est promissio Christi,* quam vtique seruabit. At quid promiserit, constat ex illis: *Eum, qui venit ad me, non eijciam foras:* An anima damnata per hanc portam admittetur? non audet pulsare, *clausa est ianua.* Non venit ad Christũ cùm posset, non potest venire, cùm volet. Fiet igitur illi, sicut ijs, quibus dictum est: Osee 5. *Vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: ablatus est ab eis.* Clausa est igitur ianua promissio-

missionis, quia damnatis nihil promisit Christus.

Tertia cæli *porta* est porta *iussionis*: nam Christus ita iussit: *Pulsate, & aperietur vobis. At clausa est ianua, collige sarcinulas, & exi* anima. *Dictum est, verum est, non fallaciter dictum est*, ait S. Augustinus, *Pulsate, & aperietur vobis. Sed quo modo? quando tempus est misericordiæ, non quando tempus est iudicij. Non enim possunt confundi ista tempora: cùm misericordiam & iudicium cantet Domino suo Ecclesia. Tempus est misericordiæ, age pœnitentiã. Tempore iudicij habes illam agere? Eris in virginibus illis, contra quas clausum est ostium.* Sciet igitur anima impij, post sententiam in se latam, non se iuberi, vt pulset, sed vt discedat in ignem æternum. *Nescio te*, dicet Iudex, vt admittam, sed vt dimittam. *Quæ paratæ erant, id est, quibus bonum coram Deo testimonium conscientia perhibebat, intrauerunt cum eo ad nuptias: id est, vbi munda anima sempiterno Dei verbo fæcundata copulatur. Clausa est ianua, id est, receptis illis, qui sunt in Angelicam vitam immutandi. Omnes enim resurgemus, inquit, sed non omnes immutabimur: clausus est aditus ad regnum cælorum. Non enim post iudicium patet precum*

XIV.
Luc. 11.
TERTIA CLAVSA PORTA.
S. August. hom. in cap. 25. Matth.

Idem serm. 22. de Verb. Dom.

aut

aut meritorum locus. Nouißimè autem veniunt & reliquæ virgines dicentes, Domine, Domine, aperi nobis. Non dictum est, quòd emerint oleum, & ideò intelligenda sunt, nullo iam remanente testimonio, de alienis laudibus, & magnis afflictionibus redire ad implorationem Dei. Sed magna est eius seueritas, post iudicium, cuius ante iudicium ineffabilis misericordia prærogata est. Itaque respondens ait: Amen dico vobis, Nescio vos. Ex illa scilicet regula, quam non habet ars Dei, hoc est, sapientia Dei, vt intrent in gaudium eius, qui non coram Deo, sed vt placerent hominibus, visi sunt aliquid secundùm præcepta eius operari. Atq; ita concludit: Vigilate ergo, quia nescitis diem, neque horam: non modò illius vltimi temporis, quo venturus est sponsus, sed sua quisq; dormitionis diem & horam nescit. Quisquis autem paratus est, vsq; ad somnum, id est, vsq; ad mortem, quæ omnibus debetur, paratus inuenietur etiam, cùm illa vox mediâ nocte sonuerit, qua omnes euigilaturi sumus.

XV. QVARTA CLAVSA PORTA. Deut. 25. 2.

Quarta porta, est *porta æquitatis*. An hanc fortasse licebit pulsare, ac dicere: *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus?* Ne igitur pro momẽtanea delectatiuncula carnis illicita, æternas, sed momentaneas aut tempo-

temporales pœnas inflige. *O Iuste Iudex*, ait S. Augustinus in persona diuitis epulonis, *vel secundū peccata mea compensentur supplicia ista, vel contra spatia annorum meorum quibus habui bona, mala recipiam, aut certè in duplum, vel quadruplum. Cur per tot millia annorum me retineri iubes in flamma?* &c. Quia *clausa est ianua*; & meritò æternùm clausa, quia in quouis lethali delicto culpa est æstimationis infinitæ; cùm peccati grauitas augeatur ex dignitate personæ offensæ. Quò maior est persona, quæ offenditur, eò grauius est delictum. Quia igitur Deus est infinitus, infinita est etiam quodammodo culpa eum offendentis. Infinita autem iniuria supplicium quoq; meretur infinitum. Adde, quòd, qui sine dolore peccati mortalis, de quo admisso sibi conscius est, ex hac vita abit, tantumdem facit, ac si æternùm peccaret. Nam sic moriens affectum retinet peccandi; itaque æternùm peccaturus esset, si æternùm in vita esset cum hoc affectu permansurus. Quare non ille peccata, sed peccata illum reliquerunt; potestatem peccata illa continuandi amisit, non voluntatem. *Qui enim impœnitens finitur, si semper viueret, semper peccaret*, ait S. Augustinus. Hæc æterna

S. August. serm. 227. de temp.

S. Thoma 1.2. q. 87. art. 5.

S. August. lib. de pœnit. &

refertur de pœnit. dist. 6. cap. Nullus.

na nunc in illo voluntas, æterno supplicio affligitur & punitur. Cur se non emendauit, cùm potuit? patiatur igitur nunc quod non potest emendare. *Clausa est ianua* hæc, ô anima damnata, nihil ampliùs titulo æquitatis potes impetrare. Iniquus esset Deus, si tam obstinatis, hoc tempore iustitiæ ostendendæ, æquitate vellet succurrere. Aliam igitur quercum excute, surda est hæc nunc ianua. *Nescio te*, ait Iudex, *Discede à me anima maledicta in ignem æternum*, quæ si temporalem delectationem, & temporale bonum in peccato, ausa es æterno bono anteferre, quantò magis id fecisses, si delectatio peccati, & bonum creatum æternum extitisset?

Sic ratiocinatur S. Thom. l. 3. contr. gent. cap. 144.

XVI. Luc. 11. 8. QVINTA CLAVSA PORTA.

Est quinta in cælo *porta amicitiæ*. Sic enim amicus ille amico, media nocte, aperuit, licet importunè venienti, & panes petenti; sic & nostro tempore aperiunt excubiæ, quando audierunt ad suam quęstionē: *Quis?* responsum: *Bonus amicus*. An anima damnata adire hanc portam audebit? Ah *clausa est ianua*, quia nulla restat amicitia. Seposuit, contempsit amicitiam, & inimicam se Deo fecit; vnde nunc audit: *Nescio te*. Catholicam noueram, iam es hæretica; piam

am noueram, iam es hæretica; piam noueram, nunc es blasphema; cùm me amares, noueram, nunc odisti; cùm ita te gereres, vt sperare posses, noueram; nunc tuomet suffragio es desperata; noueram, cùm mitis esses, nunc effera facta es; noueram castam, nunc adultera es facta; *si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Nescio te*, ne pulsa, *clausa est ianua*, in æternum tibi non reserabitur. *Neq; fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poßidebunt.* Cur admitteret inimicos, in locum pacis, amicitiæ, & amoris? Psal. 49. 18. 1. Cor. 6. 9.

At sexta est *porta Refugij?* quæ enim alia *ciuitas, Refugij ciuitas* vocari digniùs mereretur? Quid si igitur anima huc confugiat, & dicat: *Dominus firmamentum meum, & refugium meum?* Ah *clausa est ianua.* Quia si pulset, & dicat: *Domine, Domine aperi!* Ah mox dicetur: *Nescio te.* Cur ad me non refugisti, cùm te vocarem, inuitarem, traherem? cùm manus meas extenderem? contempsisti omne consilium meum; numquid tibi prædixi: *Ego quoq; in interitu ve-*

XVII. SEXTA CLAVSA PORTA. Psal. 17. 1. Prou. 1. 26.

stro ridebo? Discede igitur à me, maledicta anima, nullum refugium iam restat tibi, etiamsi dicas: *Montes cadite super nos.* Serò refugium quærunt deprehensi.

XVIII. Septima clausa porta. Septima *porta viscerum paternorum.* An hanc adire licet? *clausa est ianua.* Quid si anima pulset, nec iam dicat: *Domine, Domine,* sed Pater Pater *aperi?* Quid si dicat cum

Luc. 15. 18. Prodigo illo: *Vadam ad patrem meum, & dicam: Pater, peccaui in cælum, & coram te?* Sed respondet, *Amen amen, nescio te.* Neque filios neque filias agnosco tales, qui filij Belial, filij & filiæ diaboli esse maluerunt. Ex longinqua regione venerat ille. Tu nimis in longinquā regionem iam venisti; vnde redire non potes. Nimis enim longè à cælo distat infernus, nimis magnum chaos est

Luc. 16. 26 inter me, & inter te: *inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non poßint; neq; inde huc transmeare. Clausa est ianua:* nec *aures habet audiendi,* Surda est.

XIX. Octava clausa porta. At octaua stat *misericordiæ porta?* Quid si hanc tentet anima? *clausa est & hæc ianua.* Quid si pulset, & dicat cum eodem epulone: *Pater Abraham, miserere mei?* item: *Non*

Tit. 3. 5. *ex operibus iustitiæ, quæ fecimus, sed secundùm misericor-*

misericordiam tuam saluos nos fac. Frustra est; nihil impetrat; sed illud audit: *Nescio te:* & illud: *Recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Serò metitur, post messem. *Si locutus fuisses manè,* ait Ioab ad Abner, *recessisset populus persequens.* Manè est, cùm vita est; vespere est, cùm mors est. Tempus vitæ, tempus misericordiæ: tempus mortis, tempus iustitiæ. *Clausa est ianua,* Discede à me, maledicta anima, dicet Iudex; Iudicem nunc ago, non Redemptorem, non Aduocatum. Olim veni tibi misericors & mansuetus, nunc iustus venio & iracundus. Itaq; nunc *luge peccatum, ne pœnam defleas,* ait D. Chrysostomus, *defende te apud iudicem, priusquã in pratorium venias. An ignoras, quòd qui iudicem mitigare volunt, non ipso in examine caussæ, sed priusquam iudicij ingrediantur locum, beneuolum sibi faciunt, vel amico mediatore, vel patrono, aut modo alio sibi iudicem conciliant? Igitur & apud Deum, non quo tempore pro tribunali sederit, suadendum erit iudici: ante verò iudicij tempus mitigabilis est iudex. Quare dicit Dauid: Praeoccupemus faciem eius in confessione.*

2. Reg. 2. 27.

S. Chrys. hom. 5. de pœnit.

Ps. 94. 2.

Nona porta, porta est precum. *Petite, & accipietis.* An non licet petitione aditum aperire

XX. NONA CLAVSA PORTA.

aperire? *Clausa est ianua.* Quid si instet anima? quid si dicat: *Domine, Domine aperi?* Respondetur: *Nescio te.* Quia, vt S. Augustinus ait, *post iudicium, non patet precum locus.* Vnde ad Iudicem dicitur: *Inexorabilis es: opposuisti nubem, ne transeat Oratio.* Nec par est aliud fieri. Quoties, ô anima audijsti: *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum?* Sed exclusisti me. Nunc ergo neque ego te pulsantem admitto: *clausa est ianua.* Discede à me maledicta. Quamobrem iterum rectè D. Chrysostomus ait: *Illic magnum Iudicem ars Rhetoris nulla decipiet, & nullius potentiâ mitigatur; dignitati non condescendit, pecunijs non corrumpitur, non veneratur personam, sed tremendum & implacabile iustum iudicium.*

S August. serm. 23. de Verb. Domini.

Thren. 3. 42.

Apoc. 3. 20.

S. Chrys. loc. cit.

XXI. DECIMA CLAVSA PORTA.

Decima cæli porta, est *porta meritorum.* Illuc enim intromittuntur, qui Christum nudum vestierunt, qui pauerunt esurientem; qui mandata seruauerunt, iuxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quid si igitur anima ad hanc portam se conferat? *clausa est ianua;* omne meritum peccata mortalia extinxerunt. Quid si instet, & pulset, *Domine, Domine aperi?* quid si dicat,

Matth 19. 7.

se posthac omnia mandata seruaturam? quid si satisfactionem promittat? quid si, loco quinque præceptorum Ecclesiæ, centum; & loco decem Dei, præceptorum mille se præcepta acceptaturam & sanctè custodituram spondeat? *clausa est ianua.* Quid si ire velit, & oleum emere cum Virginibus? *clausa est ianua.* Quid si constituat intrare religionem rigidissimam Carthusianorum? quid si vltimas solitudines sectari? quid si per mille annos saccum gestare cilicinum, humi cubare, herbis & radicibus solis vesci? *clausa est ianua.* Quid si contritionem promittat, qualem Dauid, qualem Petrus, qualem Magdalena habuit? *clausa est ianua, Nescio te,* audiet. Quid si tot lachrymas fundat, vt Diluuium aquis inducat, vt flam̃as & incendia Inferorum ipsa restinguat? *clausa est ianua*, nec pœnitentia, nec contritio, nec lachrymæ ampliùs prosunt. Quid si per ardentes prunas quinque sæculis incedere non recuset? *clausa est ianua.* Nulla ampliùs satisfactio, est satisfactio. *Venit enim iam nox, quando nemo potest operari.* Igitur Discede, maledicta anima; nulla tibi patet porta meritorum. Promitte quidquid tibi occurrit; sponde aureas eleemosynas, Iob. 9. 4.

S.Chryſ. eod. loc. cit. ſerò ſeris. Abiit tempus merendi. *Hîc verò iudicem exorabimus*, ait os aureum, *& placabimus, non pecunia: magis autem, (ſi verum dicere oportet) clemens ipſe piusq; pecunia ſuadetur: non ipſe manu, ſed per inopes accipiens. Da inopi pecuniam, & iudicem mitigaueris. Hæc autem dico, fratres, alliciens vos, quoniam quidē pœnitentia ſine eleemoſyna mortua eſt: & ſine plumis nequit volare pœnitentia, pennas eleemoſynæ non habens. Quapropter Cornelio bene pœnitenti religionis & pietatis penna eleemoſyna fuit. Eleemoſynæ enim tuæ, inquit, & orationes tuæ in cælum aſcenderunt. Ita niſi habuiſſet pecuniam, eleemoſynam ſcilicet; pœnitentia nequaquam ceßiſſet in cælum.* Hæc meritorum & eleemoſynarum porta huic vitæ datur reſeranda, clauſa eſt in altera vita; nullis tunc ampliùs meritis poteſt reſerari. *Omnia tempus habent*, non eſt autem tunc ampliùs tempus merendi, aut extincta merita reſuſcitandi.

XXII. Vndecima clavsa porta. Vndecima porta, eſt *porta interceſſionis*. Quos enim in cælum non admiſerunt Sanctorum preces? Quid ſi igitur anima ad horum clementiam tranſeat? Quid ſi Dei Matrem, quid ſi Angelos, quid ſi Apoſtolos, quid ſi Martyres roget, vt rogent? *clauſa eſt ianua.*

ianua. Quid si instet apud parentes, vel filios, vel fratres, vel alios amicos, qui in cælum sunt recepti? *Clausa est ianua.* Ipse Pater ad filios dicet: *Nescio vos,* ipse filius ad parentes: *Nescio vos.* Rogarunt & Virgines socias suas, *Date nobis de oleo vestro:* sed nihil impetrarunt: rogauit & diues ille Patrem Abraham, sed repulsam passus est: *clausa est ianua.* Nihil volunt, aut debent superi cum inferis negotij habere. Nunc, nunc sancti pro impijs orant, quando adhuc eos vident in via esse, quam fas est recalcare & corrigere: cùm nimis à cælo recesserint, & iam per mortem Tartaro appropinquârint, distantia chaos efficit, orationem locus excludit. Hoc est quod in Psalmo dicitur: *Pro hac* (impietate peccatoris) *orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno,* quod est in hac vita, quæ via est. *Verumtamen in diluuio aquarum multarum,* & tribulatione æterna, *ad eum* (sanctum impij) *non approximabunt.* Psa. 31. 6. Ibid.

XXIII. DVODECIMA CLAVSA PORTA, VNA CVM PRAECEDENTIBVS

Superest vltima cæli porta, quæ est *porta gratiæ.* Qui litteris dant operam adolescentes, si in examine malè steterunt, si non responderunt rectè, si nigrum theta in scriptione retulerunt, & reiecti à iudicibus

MERITO NOS ATTENTOS FACIT.

ascendere in altiorem classem non permittuntur, ad gratiam confugiunt, & non verò ex gratia ascendere sinuntur, qui ex scientia reijciuntur. Vnde & *Gratiani* solent appellari. Quid si & anima, cùm alibi nulla spes est in cælum intrandi, ad portam gratiæ se conuertat? *clausa est ianua.* Nullus talis in cælo inuenitur *Gratianus.* Quid si pulset, & saltem mitiorem pœnam impetret? saltem subinde veniat Angelus, qui consoletur damnatum; saltem aliquis extremum digitum aqua tinctum afferat, & linguam siti ac igni ardentem refrigeret; saltem vel minimæ lucis radius densissimas subinde carceris huius tenebras illustret; saltem leuis subinde aura, sicut fornacem Babylonicam, perflet: *clausa est ianua*: nihil mutatur: audisti sententiam, subi pœnam, alia ianua nunc tibi patet æternæ damnationis, atri Ditis, æternj ignis. Hæc omnia cogitans anima impij, vtique desperatione, amaritudine, dolore implebitur. Quia *in fine hominis denudatio operum eius.* Itaque, ô peccatores, *quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam vestram; ne incuruemini sub vinculo, & cum inter-*

Eccli. 11. 29.

Isa. 10. 3.

interfectis cadatis? Tu autem, quisquis adhuc viuis, & sapis, *ante iudicium para iustitiam tibi, & in conspectu Dei inuenies propitiationem.* Quod quidem in omni vita faciendum est homini sapienti; is tamen longè stultissimus est, cui aut senectus, aut vis morbi mortem, iudiciumque hoc minatur, si nec tum quidem rationum suarum tabulas facit: cùm eo quoque adhuc tempore, possit gratiam inuenire, apud Deum infinitè clementem. Apud Ioannem Moschum hæc leguntur. *Abbas Polychronius, nouæ Lauræ presbyter narrauit mihi dicens: Cùm sederem aliquando in monasterio Turrium Iordanis, vnum illic ex fratribus animaduerti suiipsius negligentem, & numquam sanctæ diei Dominicæ canonem implentem. Post modicum verò tempus eumdem aspexi cum omni studio & alacritate se exercentem. Tunc ego dixi ei: Nunc optimè facis, curam tui gerens, frater. Qui ait mihi: Domine Pater, modò moriturus sum. Et post dies tres mortuus est.* Non sanè omnibus sua dies dicitur, aut mors reuelatur; insinuatur tamen plurimis saltem, per morbos mortis anteambulones; apertè autem per canitiem denuntiatur. Quamquã multis satis clarè vel per somnia, vel per-

Eccli. 18. 20.

Ioan. Moschus in Prat. Spirit. cap. 8.

instinctum internum, vel per Angelum ante significatur, mortem esse in ianuis. Sapienter igitur agunt, si dicant. *Praeoccupemus*
Psal.94.2. *faciem eius in confessione.* Quod fecit, eodem Moscho teste, is, de quo haec narrat. *Rursus idem Abbas Polychronius narrauit mihi dicens: Cùm in eodem monasterio defunctus esset quispiam fratrum, dixit mihi dispensator: Fac charitatem & veni, vt fratris vasa in locum dispensationis deferamus. Cùm ergo ferre cœpissemus, aspicio dispensatorem flentem, cui dixi: Quid, quaeso, ita ploras, abba? Quia, inquit ille, hodie fratris vasa fero, & post duos dies alij portabunt mea. Tertiaq; die requieuit frater ille, sicut praedixerat.* Vtinam & nos, quoties videmus alterius cadauer deferri ad sepulchrum; aut illius exequijs intersumus; aut mortem audimus; aut aspicimus aliquem obuium longa lugubri veste, vnum amicorum lugere, cogitatione ad nos retorta, diceremus; Ego hodie video hoc funus, intersum his exequijs, audio hunc vel illum mortuū, aspicio hunc vel illum lugentem, & post duos dies, fortè cras, fortè hodie, alij videbunt meum funus, intererunt meis exequijs, audient de mea morte, vel aspicient, qui me lugeant. Quid ergo moror tanto

tanto me itineri parare? &, quid Iudici meo, iuſtiſſimo, acerrimo reſponſurus ſim, cogitare? Nihil enim aliud loquuntur funera nobis vel obuiantia, vel narrata, quàm, *Memor eſto iudicij mei: ſic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Eccli. 38. 23.

CAPVT XVII.

Executio, & effectus huius Particularis Iudicij.

I. PLeraq; ex huc vſque dictis atque narratis oſtendunt, erraſſe Lactantium, quando poſt alia multa egregiè diſputata ſcripſit: *Nec tamē quiſquam putet, animas poſt mortem protinus iudicari. Nam omnes in vna communiq́; cuſtodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorū faciat examen. Tum quorum fuerit probata iuſtitia, hi præmium immortalitatis accipient; quorum autem peccata, & ſcelera detecta, non ſurgent, ſed cum impijs in eaſdem tenebras recondentur, ad certa ſupplicia deſtinati.* Iudicij hæc dilatio omnes hominū ſanctas è cælo deijcit animas; nec cum Scripturis, nec cum SS. Patrum doctrina, nec cum hiſtorijs probatiſſimis cohæret; quæ clarè docent, ſententiam de mortuis

Firm. Lactant. l. 7. diuinar. Inſtit. cap. 21.

ANIMAS A CORPORE SEPARATAS, ORDINARIE STATIM EO VENIRE, QVO ADIVDICANTVR.

tuis ordinariè statim ferri. Quare etiam, si miraculum non interuenit, aut extraordinaria sententiæ ferendæ comperendinatio, in ictu oculi fit, quod decretum est. Nimirum vel illico anima admittitur ad Deum clarè, & cum inenarrabili sempiternoque gaudio, intuendum; vel, si quid inquinationis illi restat, in Purgatorio expiandum, illico ducitur ad carcerem, è quo non exit
Matth. 5. 26. antè, quàm omnia soluat, *vsque ad nouissimum quadrantem;* vel traditur tortoribus, vt numquam desituris tormentis, sine vlla spe libertatis adipiscendæ, crucietur. Sic beatissima Dei Mater, quàm primùm mortalem vitam exuit, induit immortalem; ab Angelis, ipsoque Christo, cum ingenti triumpho, in cælestem thalamum introducta. Quia enim nulla in ea fuit labecula, à Filio iudice, in ipso statim mortis suæ momento, hanc lætissimæ salutationis, & felicissimi
Cant. 4. 7. iudicij sententiam audiuit: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon.* Sic multi alij gaudere cœperunt, quo primo momento, in hac lachrymarum valle, viuere desierunt, qui vel vitam inno-

cuam

euam inter nocentes duxerunt; vel si quid deliquerunt, pœnitentia, lachrymis, animi contritione, ieiunijs, eleemosynis, orationibus, amore Dei super omnia cetera dilecti, expunxerunt; vel martyres facti, animam suam pro Christo Domino suo posuerunt. Hi enim plerique, non transito igne, de corpore animam suam cælo transmisêre. Sicut quàm plurimi, prô dolor, qui ne Purgatorio quidem digni erant, vtraque simul morte sunt intercepti, qui animam suam de corpore, in Acheronte m euomuerunt, quorum tantus est numerus, tamque densa multitudo, vt meritò eorum comparatione, qui vitam inueniunt, *pauci* appellentur. Vnde quemadmodum solatium est bonis, *qui lugent*, quòd se citò sperent, post huius vitæ miserias, atq; ærumnas *consolandos*,; ita meritò mali habent caussam formidandi. Matth. 7. 14.

II. Totum, quod dixi, confirmat Ioannes Trithemius, pius, eruditus, & grauis author, hoc exemplo, atque his verbis: *Circa hæc tempora, cùm S Bernardus abbas Clareuallensis ab hac vita migrasset, quod contigit anno Domini 1153. 13. cal. Septem. anno ætatis suæ 64. horrenda visio Lingonensi episcopo facta est. Apparuit*

Ioan. Trithem. in Chron. Hirsaug. An. MCLX. QVAM MVLTI QVOTIDIE DAMNENTVR.

ruit ei namque eremita quidam mortuus, quem viuentem olim nouerat, qui diuino timore compunctus, ante aliquot annos, cùm esset Decanus dives, & nominatus, omnia contemnens, eremitorium, pro Christi amore, intrauit: quem cùm de statu suo, & diuini iudicij districtione interrogasset, ille respondit: Ea hora, in qua ego de corpore migraui, triginta hominum millia ab hac luce transierunt. E quibus Bernardus Clareuallensis abbas, qui eadem hora obijt, vnà mecum ad cælos euolauit; tres alij ad Purgatorium missi sunt; ceteri omnes, per sententiam iusti iudicis, condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi descenderunt. Quo in exemplo docetur non solùm, quàm velox sit diuinæ sententiæ executio; sed etiam veritas illius dicti: *Quàm angusta porta, & arcta via est,* Matth. 7. 14. *quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam!* Vna hora, ex hac vita, triginta hominum millia migrarunt, neq; nisi quinque saluati sunt. Consimilis historia ab Hieronymo Plato recitatur, de concionante Berchtoldo Ratisponæ, quam ego in libro de multitudine damnandorum refero. Quis non formidet iudicium Particulare, in quo tam pauci saluantur, tam multi damnantur? & in ipso mortis momento? & eodem momento

momento plurimi damnantur, vt ærumna multiplicetur, cum numero damnatorum.

Conueniunt animæ, quantas violentior Auster Claudian lib. 2. de rapt. Proserp.
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas,
Cunctaq́; præcipiti stipantur sæcula cursu
Insignem visura nurum.

Cur tam densis agminibus homines quotidie damnantur? quia in quibus viuunt, in illis obeunt. *Bonitas namq́; & humanitas Dei*, ait Iustinus Martyr, *& immensitas diuitiarum eius pœnitentiam agentem, resipiscentemq́; à peccatis, prout per Ezechielem indicat, perinde atque iustum, quiq́; peccatum non admiserit, habet; atque eum, qui à verò Dei cultu, & à rectè iusteq́; agendi ratione ad iniquitatem & impietatem ab omni diuinitate alienam transfugit, pro peccatore & iniusto, & impio agnoscit. Quocirca & noster Dominus Christus IESVS dixit: In quibus vos deprehendero, in iis & iudicabo.* S Iustin. mart. in dial. cum Tryphone Iudæo.

Deprehensus, & iudicatus est miser ille iuuenis, in Germania, qui sanguine principum oriundus, auitis titulis magis, quàm auitis III. Thomæ Cantipr. l. 1. Apum cap. 3. §. 4.

MISERANDVM EPISCOPI CVIVSDAM IVDICIVM PARTICVLARE.

auitis virtutibus claruit. Vtque vitæ splendorem, principe dignum, posset conseruare, Episcopatum suscepit. Sed in ea dignitate mores à stirpe & mitra degenerarunt. Neque enim ille Ecclesiam, sed cuticulam suam curabat, sæpius in siluis, quàm in templis; frequentiùs in venatione, quàm oratione versatus. Studium illi erat, non oues custodire à lupis; sed canibus lepores persequi, atque vulpes è foueis extrahere. Maiorem diei partem in conuiuijs, & inter pocula comburebat. Nauseam creabant colloquia erudita; ioci scurrarum & morionũ voluptatem. Vtque ad luxum opes sufficerent, varijs artibus pecuniam faciebat; ac, vt crescit semper cupiditas, à fraudibus occultis, ad manifestas ac sine vlla verecundia exercendas rapinas progressus est. Nempe sibi dictum putauit, illud S. Isidori Pelusiotæ ad Zosimum Presbyterum scriptum: *Si nec gehenna, nec cælestis regni cura vlla te afficit, nec saltem te operam dare æquum fuerit, vt præsentis vitæ dicteria propulses.* Seriùs quidem verecundia & boni nominis amor amitti solet, sed vbi quis semel depuduit, etiam profitetur improbitatem, tantoque licentiùs peccat, quantò remotior est à metu

S. Isidor. Pelusiot. lib. 3. ep. 6.

à metu erubescendi. Quoniam etiam in malos bonus est Dominus, antè monuit hunc principẽ, quàm puniuit. Et ne obiter dumtaxat monuisse videretur, flagella multiplicauit. Vt saxa, quæ nullis ictibus molliuntur, verberatus est, non emendatus; immo inde, quasi Hercules laboribus illustrandus superbiuit, vnde corrigi debuisset. Ita contingit in reprobum sensum datis. Aliquando igitur Conradus, quem Hildemenses præsulem habuerunt, cùm concubia nocte ad matutinas preces Deo persoluendas, consurrexisset, illisque persolutis, sequenti die ad populum dicturus, in litteras incubuisset, extra se factus, videre sibi visus est talari tunica, & super eam sacro ornatu atque infula insignitum, ceterùm obuelata facie, ad præcelsum tribunal metuendi Iudicis rapi. Adfuêre non modò truci vultu satellites; sed etiam diuersi acerrimi accusatores, ius petentes. Et alij quidem libidines illius noctesque, alij ebrietates & comessationes diurnas; spoliationes alij rapinasque, alij cædes & iniustas percussiones accusauerunt; alij alia super alia congesserunt. Stetit reus, & tacuit; nec potuit quidquam inficiari eorum, quæ obijciebantur. Iudex

igitur ſententias rogans, aſſeſſoribus ait: Expendite accuſata, iudicium pronuntiate, quid ſit commeritus, dicite. Dictum, factum. Approbat Iudex, quod omnes cenſuerunt. Neq; differtur executio. Circumſtant vndique reum Tartarei lictores atris vultibus horrendi. Hic mitram de capite aufert; ille annulum de digito abſtrahit; alius ſacerdotalem, alius Dalmaticam veſtem exuit; crucem alius de collo demit; ſtolam alius; alius cinctum reſoluit; ſyntheſim alius, alius tunicam talarem tollit; denique vbi omnia veſtimenta & ornamenta ab eo adempta ante Iudicis pedes proiecerunt; ſpoliatum, nudum, miſerabiliterq; eiulantem, nihilque ſecum præter ſcelera portantem, à conſpectu Iudicis, cum immenſa vociferatione atque triumpho ſecum ad Tartara abduxerunt.

Sil. Ital. lib. 13. bel. Pu. 2. *Talia lethiferis reſtant patienda tyrannis.*

Illo abducto Iudex quoque diſceſſit, quem Aſſeſſores ſecuti, ſonora voce, cecinerunt:

Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

Hæc talia extra ſe raptus vidit Conradus Hildemenſis Epiſcopus, ſibique redditus ſolicitè apud ſe cogitauit, quiſnam fuerit

illo

ille miserabilis præsul. Hæc eo cogitante, adest præ foribus, qui pulsato ostio aditum petit, introire iussus, non sine lachrymis indicat, heri sero vespere, Episcopum talem in proximam villam venisse, qui nocte illa, & illa ipsa quoque hora, qua funestam actionem Conradus viderat, repentina morte, expirârit. Illachrymatus est illi sanctus Præsul, sed fletu nihil profuturo, nisi ijs, qui exemplo damnati, sapientiores, talibus se exercuerint factis, in qualibus volunt deprehendi morientes, & mortui à Christo iudicari.

Rectè supradictus Isidorus Pelusiota ad Maronem scribit: *Non dubium, sed clarum atque cognitum, & verum, ab omnibusq; viris eruditis, & sacris Scripturis confessum, atq; omnino futurum extremi iudicij dogma pectore conditum habere sanè debeas, ab ijsq; abstinere, quæ, dum iudicium minimè fore existimas, committis: vt hac ratione, & teipsum pœna, & eos qui te intuentur mœrore, & languētes ac torpidos desperatione liberes.* Pœna certè, post hanc vitam, non differtur; immo & in hac vita inchoatur nonnumquam. *In Polonia,* inquit Martinus Cromerus, *homo quidam splendidus, equestris ordinis, sed violentus & rapax, & suis iuxta*

IV. S. Isidor. Pelusiota lib. 3 ep. 2. POENA IN HOC IVDICIO DECERNENDA, IN HAC VITA INCHOATA.

Martin. Cromer. l. 9. hist. de reb. Polonor.

iuxtà ac alienis grauis, cùm grauiter ægrotaret & admonitus crebrò à religiosis quibusdã viris, vt ad Dei clementiam confugiens animæ suæ saluti consuleret, negauit sibi veniæ locum relictum esse, iam enim diuino iudicio traditum se esse dæmonum potestati. Nec mora, andiuntur à circumstantibus, vehementium verberum & percussionum strepitus: apparent in corpore ægroti fœdi liuores, atq; vibices, ita vt omnes obstupescerent. Inter hæc ille infelix nullam vocem, nullumq; gemitum edens, ter infelicem animam exhalauit, hîc exorsus supplicia, quæ deinde apud inferos æternùm expenderet: vt esset exemplo ijs, qui ex aliorum incommodis student sua commoda parare. Annus tunc agebatur 1276.

V. S. August. in Psal. 6. POENA INFERNI, IN HAC VITA, A CAECITATE COEPTA.

Quo pacto autem & iudicium, & pœna, in hac vita subinde incipiat, acutè D. Augustinus exponit in illud Psalmi: *Turbatus est à furore oculus meus*, seu, vt ille legit, *ab ira: Vtrum sua*, inquit, *an Dei, in qua petit, ne argueretur, aut corriperetur? sed si illa diem Iudicij significat, quomodo nunc potest intelligi? an inchoatio eius est, quòd hîc homines dolores, & tormenta patiuntur, & maximè damnum intelligentiæ veritatis: Sicut iam commemoraui quod dictum est, dedit illos Deus in reprobum sensum? Nam ea est cæcitas mentis, In eam* Rom. 1.

quis-

quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce se-
cluditur. Sed nondum penitus, cùm in hac vi- Matt. 25.
ta est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ ma-
gis ad diem iudicij pertinere intelliguntur: vt
penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus
est, corrigi noluerit. Penitus enim esse extra
Deum, quid est, nisi esse in summa cæcitate? Si- 1. Tim. 6.
quidem Deus habitat lucem inaccessibilem, quò Matt. 25.
ingrediuntur, quibus dicitur, intra in gaudium
Domini tui. Huius igitur iræ inchoatio est, quam
in hac vita patitur quisque peccator. Timens ita-
que Iudicij diem, laborat, & plangit: ne ad illud
perducatur, cuius initium tam pernitiosum iam
experitur. Et ideò non dixit: extinctus est, sed
turbatus est ab ira oculus meus. Quo pacto
turbatus fuit, ab ira Dei oculus equitis Po-
loni: si enim lumen rectum habuisset, non
negasset, sibi veniæ locum relictum esse. Quam-
quam enim ita traditus est dæmonum pote-
stati, vt etiam eorum verberantium ictus &
strepitus à circumstantibus exaudirentur;
quis scit, an non idcirco viuus adhuc vapu-
lârit, vt ictus saperet? clamasset ad Deum,
clamasset: *Miserere mei*, forsitan gratiam,
inuenisset. Sed assueti ridere monitiones
Dei & contemnere castigationes, ipsam
medicinam vertunt in venenum. Quæ ipsa

excæcatio, eſt quoddam principium iudicij atque damnationis.

VI. SANCTOS NON TANTVM IVDICANDIS SVCCVRRERE, SED ETIAM VINDICTAM PETERE

Quemadmodum autem ſubinde Sancti Dei hominum patroni intercedunt, iudiciumque ſummi Iudicis, aut executionem eius ſuſpendunt, vt malè morientes vel ſic in ſuum commodum, & aliorum exemplũ reſipiſcant, ita non rarò læſi vindictam expetunt. Quia enim odit iniquitatem peccatorum iuſtitiæq; diuinæ ſeſe adaptat, *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictã: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Quamobrem & Ioannes ait: *Vidi ſubtus altare animas interfectorũ propter verbũ DEI, & propter teſtimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: vſquequo Domine (ſanctus & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrũ de ijs, qui habitant in terra?* Eiuſcemodi exempla complura extant. Vnum referre libet, quod Anno ſalutis 587. contigit Chilperico iniquiſſimo Francorum Tyranno, de quo Guntramno regi tale diuinitus viſum oſtẽſum eſt, tantò fide dignius, quia id ipſe, qui vidit, recenſuit, regiaque & authoritate, & fide confirmauit. Recenſuit autem, apud D. Gregorium Turonenſem, in hunc ferè modum: *Vidi & ego aliam viſionem, qua huius interitum*

Pſ. 57. 11.

Apoc. 6. 9.

S. Greg. Turon. lib 8 hiſt Franc. c. 8.

interitum nuntiauit. Adducebatur enim in conspectu meo à tribus Episcopis vinctus catenis: quorum vnus Tetricus, alius Agricola, tertius verò Nicetius Lugdunensis erat. E quibus dicebant duo: Soluite eum, quæso, & castigatum abire permittite. Quibus è contrario cum amaritudine Tetricus Episcopus respondebat: Non fiet ita, sed igne concremabitur pro sceleribus suis. Et cùm diu multumq; altercantes, quasi hæc inter se verba conferrent, conspicio eminus ahenum super ignem positum feruere vehementer. Tunc, me flente, apprehensum infelicem Chilpericum, confractis membris, proijciunt in aneum. Nec mora, inter vndarum vapores ita dissolutus, ac liquefactus est, vt nullum ex eo penitus indicium remaneret. Tale iudicium est impijs, tale etiam regibus, ni colant pietatem. *Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos, in die furoris Domini.* Hic est terminus impietatis, vt vnde terminant vitam scelerosam, inde incipiant mortem æternam. Ezech. 7. 19.

VII. IVDICIVM HOC A BONIS SPERARI, A MALIS FORMIDARI.

Qua de caussa, sicut hyæna, ob atrum sanguinem ad cor confluentem, moritura plorare; cygnus autem ob meliorem sanguinem cantare dicitur; ita malè sibi conscij sub exitum vitæ trepidant; iusti exul-

tant; quia illi iudicium formidant, isti optant. Hinc illud oraculum est editum:
Eccli.14 1. *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis; viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum? O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura est.* Quod etiam Dauid non tacuit. Nam
Ps. 33. 22. qui dixit: *Mors peccatorum pessima*, idem
Ps.115. 15. alio loco pronuntiauit: *Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius.* Quia malam mortem, malum iudicium sequitur; quisquis autem bene moritur, feliciter iudicatur; nec trepidat, sed desiderat iudicari; sicut & ille, qui iustitia caussæ suæ fretus, nihil aliud cupit, quàm vt ad tribunal admittatur, ad quod prouocauit. Tantoq; magis cupit caussam suam ante Deum discu-
Psal 18. ti iustus & innocens, *quia judicia Domini*
S. August. in eumd. Psalm. *vera, iustificata in semetipsa* (*neque enim vel minatus, vel pollicitus Deus quemquam fallit, aut quisquam vel impijs supplicium, vel pijs præmium eius potest eripere*) *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multùm. Desiderabilia iudicia Dei super pompas huius sæculi, quarum desiderio fit, vt non desiderentur, sed timeantur,*

antur, aut contemnantur, aut non credantur iudicia Dei. Quòd si quisque ipse sit aurum lapisq; pretiosus, vt igne non consumatur, sed assumatur in thesaurum Dei; plus quàm se ipsum desiderat judicia Dei, cuius voluntatem præponit sua.

Quis non putet, hoc iudicium desiderasse potiùs, quàm timuisse illum qui dixit: *Coarctor è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos?* Quis sisti huic iudici cupiuisse, non existimet illum, qui *plenus Spiritu sancto intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris Dei?* Quis D. Andreæ desideria & ignita vota, quis incensam ad sanguinem fundendum voluntatem reliquorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, & aliorum Diuorum; aut certè ad corporis sarcinam quo quo modo deponendam, nescit? Sciebant nimirum, de præmio, non de pœna sua, in illo tribunali, agendum. *Ego felices Societatis primitias Ioannem Hosium & Iacobum Codurium hinc abiisse arbitrer, vel cum diutiùs viuendi desiderio, vel cum difficultate moriendi; & non potiùs cum incredibili gaudio*, ait ille, *suauissima*

VIII. EXEMPLA EORVM, QVI HOC IVDICIVM DESIDERARVNT.

Philipp. 1. 23.

Act. 7. 55.

In Imagine primi sæculi Soc. IESV, Prouincia Flandro-Belgica. lib. 5. c. 8.

suauissimæ voluptatis, quos vix dum egressos è corpore Pater Ignatius adhuc superstes intuitus est cælesti gloria circumfusos? Additur in Imagine primi sæculi Societatis IESV, ex relatione R. P. Crisoëlli An. 1616. 13. Ianuarij sequens historia: *Teresia de IESV (Ille ductus à Carmelo fons & origo defæcatissimæ sanctitatis, in quo velut in speculo resplenduerunt ostenta tam illustria, tam inusitata de Cælo; qui æterni solis igne diuino, sic frequenter emicuit, vt ardere ipse & inflammare alios videretur) Hæc, inquam, virgo Teresia degebat Corduba in Hispaniâ, eratq; (quod solet) à sanctissimi Sacramenti communione, in cælum & in Deum mente suspensa, quâ in speculâ dum consistit, ecce tibi è purgantibus flammis animæ, quæ magno numero, & gratulatione festiuâ ferebantur, & recipiebantur in Cælum. Ducebat reliquas vnâ formosior, & hanc etiam vnam præ omnibus IESVS Christus inter angelicarum mentium ordines factus obuiam, suo dignabatur amplexu, in signum beneuolentiæ singularis & amicitiæ sempiternæ. Hærebat Virgo Teresia, hinc suauissimo recreata spectaculo, inde non satis intellecto prodigio consternata: audet igitur interpellare animam de posterioribus vnam, & petere, quænam ipsæ forent, ac præsertim quæ ipsarum dux*

Loc. cit. Imaginis.

dux illa tam accepta Deo. Cui ipsa breuiter: Dux noster est, è Societate I E S V, frater vnus: nos duci gratulamur, cuius virtuti ac precibus debemus, quòd hodie liberemur: de omnipotentis aduentu nil mirum; nil nouum; scilicet hoc est hominum Societatis I E S V priuilegium, vt mortuum Iesuitam obuius I E S V S excipiat, obuiauit videlicet eo ipso puncto temporis quidam Sociorum I E S V, Coadiutor Cordubensis Ecclesiæ nostræ æditnus, qui annis plus minùs triginta sacro hoc perfunctus officio, vt erat sui obseruator & custos, ac pietatis Religiosæ sectator egregius, quadringentas ampliùs Virgines (quæ ex proposito pio, diuino cultui sunt vocanturq; deuotæ) distinguebat omnes auditâ voce, sed nullam penitus earumdem de facie nouerat. Adeò curiositatem frænauerat, vt castis oculis cor mundum seruaret; cui promissum sciebat longè nobilius à summo Iudice spectaculum, illis scilicet verbis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Oculis concordabant manus, laboribus sacris semper occupatæ, quæ mentem non impediebant, ne & ipsa quoque meditationibus sacris occuparetur. Ita orabat semper, & laborabat; opere pariter & precibus Deum veneratus. Quod etiam de Arsenio legitur, quia

Matt. 5. 8.

Heribert. Rosvveid. in vit PP. l. 5. libell. 8. §. 1. & 5. *quia toto tempore vitæ suæ sedens ad opus manuum suarum, pannum habebat in sinu propter lachrymas, quæ crebrò currebant ex oculis eius.* Itaque *sanctæ memoriæ Theophilus Archiepiscopus, cùm moriturus esset, dixit: Beatus es, abba, Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti.*

IX. QVAS MANVS OPORTEAT AD DEVM IVDICEM LEVARE?

S. August. in Psal. 62.

1. Tim. 2.

Tali virtute præditi atque exercitati, meritò tale iudicium sperant, desiderantque; & cum spe aiunt: *In nomine tuo leuabo manus meas. Leua ergo manus in oratione,* ait S. Doctor. *Leuauit pro nobis Dominus Deus noster manus in cruce, & extensæ sunt manus eius pro nobis. Ideò extensæ sunt manus eius in cruce, vt manus nostræ extendantur in bona opera: quia crux ipsius misericordiam nobis præbuit. Ecce leuauit ille manus, & obtulit pro nobis sacrificium Deo seipsum, & per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra. Leuemus & nos manus nostras ad Deum in prece: & non confundentur manus nostræ leuatæ ad Deum, si exerceantur in bonis operibus. Quid enim facit, qui leuat manus? Vnde præceptum est, vt leuatis manibus oremus ad Deum? Apostolus enim dicit: Leuantes puras manus, sine ira & disceptatione: vt cùm leuas manus tuas ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. Quia*

enim

enim manus ista leuantur, vt impetres, quod vis, ipsas manus cogitas in bonis operibus exercere, ne erubescant leuari ad Deum. Qui scit, se cum diuina gratia fecisse opera cælo digna, manus leuat, quibus præmium accipiat, & Iudicem securus adit. Qui autem manus bonis operibus inanes cælo ostendit, nonnè Iudicem monet, qua mercede dignus sit? nempe illa, quam seruus nequam accepit. Itaq; *vt qui mortem in malis ponit, non potest eam non timere*, teste Tullio, ita & is non potest iudicium Dei non formidare, cui conscientia dictat, se iudicium malum, ac Iudicem inimicum habiturum. Quemadmodum ergo qui *euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, venient cum exultatione, portantes manipulos suos*, ita is, qui dicet: *Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. Timui enim te, quia homo austerus es: tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti*, audiet à Domino: *De ore tuo te judico, serue nequam*, cur manibus vacuis venis? *Sciebas, quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtiq; exegissem illam?* Nihil ergo mercedis accipiet, qui nihil illuc attulerit laboris.

Cic. lib. 3. de Finib.

Ps. 125. 6.

Luc. 19. 21.

X. S. August. in illud, 1. epist. 4. 17. Ioannis, In hoc perfecta est dilectio in nobis, vt fiduciam habeamus in die iudicij.

QVO PACTO NOS VELIT AD IVDICIVM HOC PARATOS ESSE S. AVGVSTINVS?

Interroga ergo, ait S. Augustinus, *quantum in charitate profeceris, & quid tibi respondeat cor tuum: vt noueris mensuram profectus tui. Promisit enim ostendere nobis in quo cognoscamus eum: & ait: In hoc perfecta est in nobis dilectio. Quare, in quo? vt fiduciam habeamus in die iudicij, perfecta est in illo charitas. Quid est habere fiduciam in die Iudicij? Non timere ne veniat dies Iudicij. Sunt homines, qui non credunt diem Iudicij. Isti fiduciam non possunt habere in diem, quam venturam esse non credunt. Prætermittamus istos: excitet illos Deus vt viuant. De mortuis vt quid loquimur? Non credunt futurum diem Iudicij, nec timent, nec desiderant, quod non credunt. Cœpit aliquis credere diem Iudicij: si cœpit credere, cœpit & timere. Sed quia timet adhuc diem Iudicij, nondum est in illo perfecta charitas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium video, inquis? Ipsum timorem. Audi Scripturam: Initium sapientiæ timor Domini.* (Eccl. 1.) *Cœpit ergo timere diem Iudicij: timendo corrigit se. Vigilat aduersus hostes suos, id est, peccata sua: incipit reuiuiscere interiùs, & mortificare membra, quæ sunt super terram. Sicut Apostolus dicit: mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* (Col. 3.) *Spiritualia*

ritualia nequitia dicit membra super terram: Nam sequitur & exponit: Auaritiam, immunditiam, & cætera quæ illic exequitur. Quantum autem mortificat iste, qui timere incipit diem Iudicij, membra super terram, tantum surgunt & corroborantur membra cælestia. Membra autem cælestia omnia opera bona. Surgentibus cælestibus membris incipit desiderare quod petebat. Timebat enim ne veniret Christus, & inueniret impium quem damnaret: desiderat vt veniat, quia inuenturus est pium, quem coronet. Iam cùm cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsæ, renuntiat adultero, fit virgo interiùs fide, spe & charitate. Habet iam fiduciam in die Iudicij, non contra se pugnat, quando orat & dicit, Veniat regnũ tuum. Qui enim Matth. 6. timet ne veniat regnum DEI, timet ne exaudiatur. Quomodo orat, qui timet ne exaudiatur? qui autem orat cum fiducia, charitas optat iam vt veniat. De ipso desiderio dicebat quidam in psalmo. Et tu Domine vsquequo? conuertere Domine, & erue animam meam. Psal. 6. Gemebat se differri. Sunt enim homines, qui cum patientia moriuntur, sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia viuunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi

venerit

venerit dies mortis, patienter tolerat mortem. Luctatur aduersum se, vt sequatur voluntatem Dei, & hoc potiùs agit animo, quod eligit Deus, non quod eligit voluntas humana: & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam & fortitudinem, vt æquo animo moriatur. Iste patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolui & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter viuit, delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viuentem, id est cum patientia hîc non amare vitam, sed tolerare. Dissolui, inquit, & esse cum Christo multò magis optimum: manere autē in carne necessarium propter vos. Ergo fratres date operam, intus agite vobiscum, vt desideretis diem Iudicij. Aliter non probatur perfecta charitas, nisi cùm cœperit illa dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo: Ille autem fiduciam habet in illo, cuius conscientia non trepidat in charitate perfecta, atq; sincera. 1. Ioan. 4. 17. *In hoc perfecta est dilectio eius in nobis, vt fiduciam habeamus in die judicij.*

XI. QVAM BENE SIT PARATIS, QVAM MALE [illegible]

Hanc fiduciam animo nostro inserit crebra mortis, illiusque instantis, in quo Deo rationem sumus reddituri, meditatio. Iubet enim nos vigilare, iubet arma sumere,

iubet paratos stare. Non timet miles, vigilans vigilare Circitorem. At qui dormit etsi dormit, tamē anxius est, ne deprehendatur, & vel in somno metuit vigilias obeuntem. Apud Ruffinum, senex quidam sanctissimus legitur in Scythi ad vitæ extrema peruenisse, ad quem, de more, confluxerunt fratres, qui lectum eius circumdederunt, eumque vestientes ita cœperunt flere vehementer, vt à moribundo oculos iam clausos habente exaudirentur. *Ille autem aperuit oculos suos, & risit, & adiecit iterum ridere. Hoc autem factum est tertiò. Quod cùm viderent fratres, rogauerunt eum dicentes; Dic nobis, abba, quare, nobis flentibus, tu rides? Et dixit eis: Primò risi, quia vos timetis mortem: secundò risi, quia non estis parati: tertiò autem risi, quia ex labore ad requiem vado, & vos ploratis. Hoc cùm dixisset, statim vtpote moriens clausit oculos.* Nempe ignaui milites, qui stationem suam deseruerunt, aut arma abiecerunt, cùm præliandum esset, trepidant citati ad ducem; illi autem qui rem strenuè gesserunt; quique non ignari, se suamque fortitudinem ab Imperatore examinandā, nec latum quidem vnguem hosti cesserunt, etiam gaudio perfunduntur, ad eum si euocantur.

MORTEM IMPARATIS?

Ruffin. l. 3. n. 159.

cantur. Nec enim pœnam metuunt, sed sperant coronam.

XII. Exemplum non timentium. Io. Damascen. lib. 1 vitæ Barlaam Eremitæ, & Iosaphat Indiæ regis.

Quod egregiè expressit D. Damascenus in duobus Religiosis, quos Indiæ Rex, cum alijs relegatos, incusso mortis metu frustra voluit territare. *Cùm enim ad venationem egrederetur, duos monachos per desertum iter facientes cernit. Quos statim comprehendi, & ad currum suum adduci iussit. Atque iracundis oculis eos intuens, ignemq́, vt dici solet, spirans: An non audistis, inquit, ô impostores & circumscriptores, meos apertè proclamantes, ne quis vestri diabolici instituti, post triduum in vrbe, aut vlla regni mei regione inueniretur, aut alioqui prorsus igne cremaretur? Monachi autem, En, inquiunt, pro eo ac iussisti, ex vrbibus tuis ac regionibus excedimus. Verùm cùm longum nobis iter propositum sit, vt ad fratres nostros proficiscamur, ac cibo careamus, hac via incedimus, vt nobis viatica suppetant, nec fame absumamur. Rex autem inquit: Qui mortis minas metuit, huic cibos comparare minimè vacat. Monachi autem: Rectè dixisti, ô Rex, inquiunt: qui mortem metuunt, id curant, quonam pacto eam effugiant. Quinam autem hi sunt, nisi qui fluxis rebus intabescunt, easq́ue ad stuporem vsque mirantur? Qui quidem cùm in-*

in altera vita quidquam boni se se consecuturos esse desperent, à præsentibus diuelli nequeunt, ob eamq́ causſam mortem timent. At nos, qui iam pridem mundum, & ea quæ in mundo sunt, odio prosequimur, arctamq́ & angustam viam Christi causſa ingredimur, nec mortis metu, nec præsentium rerum cupiditate afficimur: verùm futurarum dumtaxat rerum desiderio tenemur. Quoniam igitur mors ea, quam nobis infertis, ad sempiternam & præstantiorem vitam transitur, efficitur, idcirco cupiditati potiùs nobis esse, quàm terrori.

Hanc ob caussam, se se multi ab hominibꝰ seggregant, & mortem iudiciumque felix læti expectant. Quamquam, quia *nescit homo, vtrum amore, an odio, dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta*, neque illi ipsi, sine timore esse prorsus debent. Spes eos solatur, metus conseruat in humilitate. *Abbas Sisois sedens in cella semper claudebat ostium suum. Dicebatur autem de ipso, quoniam in die dormitionis suæ, cùm sederent circa eum Patres, resplenduit tamquam sol facies eius: & dixit ad eos: Ecce abbas Antonius venit. Et post pusillum rursum dicit eis: Ecce chorus Prophetarum venit, & iterum ampliùs facies eius resplenduit, & dixit: Ecce chorus Apostolorum venit.*

XIIII. POENITENTIA SVB MORTEM OMNIBVS COMMENDATA.

Eccl. 9. 1.

Ruffin. lib. 3. n. 162.

venit. Et dupliciter refulsit adhuc facies eius: & ecce ipse quasi cum aliquibus loquebatur. Deprecati sunt autem senes illum dicentes: Cum quo loqueris, Pater? Qui dixit eis: Ecce Angeli venerunt accipere me; & rogo, vt dimittar pœnitere modicum. O mirandam negligentiam nostram, qui pœnitentiæ agendæ, & dum valemus, non inuigilamus; & dum morti iudicioque nostro vicinissimi sumus, vix recordamur, pleni peccatis. Iste Sisois, senex tam sanctus, tamque plenus seuerissimæ pœnitentiæ, cui morienti D. Antonius astitit; ad quem Prophetæ, Apostoli, Angeli venerunt, vt eum comitarentur; cuius facies solis instar effulsit, rogat, vt pœnitentiæ vel modicum tempus obtineat? Nimirum hæc est sollicitudo Sanctorum, quia sciunt, quantum sit in articulo mortis momentum; neque satis fidunt suis lachrymis & ieiunijs, & mille asperitatibus. Quamobrem cùm eidem Sisoi dicerent seniores: *Non indiges pœnitentia, pater; dixit illis: Verè nescio meipsum vel initium pœnitentiæ arripuisse. Et cognouerunt omnes, quia perfectus esset. Et rursum subitò facta est facies eius sicut sol, & timuerunt omnes. Dixit autem eis: Videte ecce Dominus venit, dicens: Afferte mihi*

uae electionis eremi. Et continuò reddidit spiritum. Et factus est, sicut fulgur, & repletus est totus locus ille odore suauitatis. Sic ire cum tot Sanctis, cumque ipso Iudice ad Iudicem quicumq; vult, cum hoc sancto sene, sedeat in conclaui suo, clausoque ostio, quemadmodum velit caussam suam apud Deum agere, meditetur. Virgines, veniente sponso, *quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.* Ideò *& vos estote parati;* & vnusquisque ita vitam suam comparet, vt cum Quinto illo Anachoreta dicere possit: *Ego Angelos aspicio ascendentes, & descendentes ad vocationem animarum, semper finem meum opperior dicens: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Tunc, si vmquam vera fuit, erit verissima illa Græcis celebrata sententia: Εὐδαίμων ὁ μηδὲν ὀφείλων. *Felix qui nihil debet.*

Matth. 25. 10.

Matth. 24. 44.

Heribert. Rosvveid. lib. 7 de vit. PP. cap 44.

Psal. 107.

Omnia ad maiorem DEI gloriam, & salutem animarum.

INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM MARGINALIVM.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT

CAPVT III.

CAPVT IV.

 quam

§. 6.

§. 3.

§. 4.

§. 2.

§. 6.

§. 12.

CAPVT XV.

CAPVT

CAPVT XVI.

CAPVT XVII.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Prior numerus Caput, posterior Paragraphũ significat.

S. Cae

FINIS.